QUAESTIONES DE NOMINIBUS PROPRIIS, QUAE GRAECIS HOMINIBUS IN PROVERBIO FUERUNT.

Dissertatio inauguralis,

quam ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine almae litterarum universitatis

Frederico-Alexandrinae
Erlangensis
rite petendos conscripsit

Maximilianus Wiesenthal,
Sedinensis.

Exam. rig. factum est Non. Dec. MDCCCXCIV.

Barmen 1895.
Druck von D. B. Wiemann.

QUAESTIONES DE NOMINIBUS PROPRIIS, QUAE GRAECIS HOMINIBUS IN PROVERBIO FUERUNT.

Dissertatio inauguralis,

quam ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine almae litterarum universitatis

Frederico-Alexandrinae
Erlangensis
rite petendos conscripsit

Maximilianus Wiesenthal,
Sedinensis.

Exam. rig. factum est Non. Dec. MDCCCXCIV.

Barmen 1895.
Druck von D. B. Wiemann.

Dispositio rerum.

Libri.

Erasm. = Des. Erasmi Roterodami Adagiorum chiliades quattuor etc. Parisiis MDLXXI.

CPG = Corpus parœmiographorum Graecorum edd. E. L. a Leutsch et F. G. Schneidewin, Gottingae I. 1839, II. 1851.

Graux = Ch. Graux, Supplément au corp. par. Graec. Revue de phil. 1878, quod supplementum continet prov. e cod. Scorialensi S edita.

Miller = Mélanges de litterature grecque par M. Paris 1868.

Nauck = A. Nauck, Bericht über E. Miller, Mélanges etc. Bull. de l'acad. imp. des sciences de St. Pétersbourg t. XIV (1869) col. 344 sqq.

Warnkross, de parœmiographis cap. II. 1881.

Jungblut, Quaestion. de parœm., pars I: de Zenobio 1882.

Brachmann, Quaest. Pseudo-Diogenianeae. 1885.

L. Cohn, Zu den Parœmiographen. 1887.

Crus. Anal. = Analecta critica ad parœmiographos Graecos scripsit Otto Crusius. Accedunt excerpta ex Demone περὶ παροιμιῶν, grammatici incerti frg. parœmiogr. Lips. 1883.

Plut. Crus. = Plutarchi de proverbiis Alexandrinorum libellus ineditus rec. et praef. est O. Crusius, Tub. 1887.

Crus. ad Plut. = Ad Plut. de prov. Alex. libellum nuper repertum, in Fleckeiseni Annal. 1887 p. 241—257, 657—675.

Crus. ad Her. = Untersuchungen zu den Mimiamben des Herondas v. O. Crusius. Lips. 1892.

Slothouber = Observ. in parœmiogr. Diss. in. Rheno-Traiect. 1879.

Bauck = De provv. aliisque locutionibus ex usu vitae communis petitis apud Aristophanem comicum. Diss. in. Regim. 1880.

Koch I = Quaestionum de provv. apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem c. I. Diss. in. Regim. 1887.

Koch II = Quaest. etc. c. II. Progr. gymn. Bartenstein. 1892.

Tribukait = De proverbiis vulgaribusque aliis locutionibus apud bucolicos Graecos obviis. Diss. in. Regim. 1879.

Grünwald = Sprichwörter und sprichwörtliche Redensarten bei Plato. Progr. Collège Royal Franç. Berol. 1893.

v. Wyss = Die Sprichwörter bei den römischen Komikern. Zürich 1889.

Philologus, Suppl. VI (1892—93) = Zur handschriftlichen Ueberlieferung, Kritik und Quellenkunde der Parœmiographen von O. Crusius und L. Cohn. Anhang: Die Sprichwörter des Eustathius von E. Kurtz.

Martin = Studien auf dem Gebiete des griech. Sprichwortes von Paul Martin. Progr. Plauen i. V. 1889.

Hoffmann: Schimpfwörter der Griechen und Römer. Progr. des Friedrich-Realgymnasiums. Berol. 1892.

Ohlert: Die Rätsel der alten Griechen.

Quicunque parœmiographos Graecos tantum a limine salutaverit, eum fugere non poterit, inter ingentem adagiorum farraginem haud ita multa esse proverbia, quibus proprio sensu et sine dubitatione nos nomen illud tribuere possimus. Apud Graecos enim vis ac potestas vocis *παροιμία* multo latius patebat,[1]) quam quod nos dicimus Sprichwort, quippe quae praeter proverbia significet locutiones proverbiales, nomina propria metaphorice vel exempli causa usurpata, facete dicta, lusus verborum idque genus vocum in omnium ore versantium, quod nos Büchmanno auctore Geflügelte Worte appellare solemus. Itaque de Graecorum proverbiis quaerenti non modo uberrimae illae copiae parœmiographorum omnes singillatim examinandae sunt, sed etiam necessarium esse videtur, ut quid sit proverbium accurate definiat. Cum autem definitionem huius vocis, quae omnibus satisfaciat, quamquam et antiquitatis et nostrae aetatis viri doctissimi vehementer de ea re operam dederunt,[2]) invenire nemini adhuc contigerit, frustra laborantium numerum non augebimus, sed rectius causam difficultatis ipsam sermonis esse naturam putabimus, qua fines notionum vigente lingua apud omnes gentes permiscentur.

De proverbiorum natura atque ratione ea agnoscendi. Facilius esse mihi videtur statuere, quaenam dicta sint proverbialia iudicanda. Agnoscuntur enim proverbia, quae proprie dicuntur, duobus potissimum signis: et omnibus nota receptaque sunt et sententias generales continent singulorum factorum vel hominum exemplis illustratas i. e. similitudine et translatione constant. Sed ea locutionum quoque proverbialium propria esse primo apparet obtutu; quarum locutionum genera sunt non modo formulae quaedam dicendi sensu proverbiali adhibitae, e quibus exempli gratia affero illa paene innumerabilia *ἀδύνατα*[3]) velut *Αἰθίοπα λευκαίνειν*, sed etiam comparationes proverbiales velut *Κροίσου πλουσιώτερος*, translationes velut *Ἡρακλῆς*, nomen appellative de homine validissimo usurpatum. Eiusmodi locutiones, si eodem semper enuntiato comprehenduntur, fiunt proverbia, quae proprie dicuntur, itaque imperfecta tamquam

---

[1]) cf. Crus. ad Her. p. 1. [2]) cf. Erasm. p. 2. Bauck p. 1 sq. Koch p. 1. Martin p. 1 sqq. [3]) cf. CPG I, p. 343 sqq. Martin p. 11.

proverbia eas dicas. Quantilla vero opera ex plerisque locutionibus proverbialibus proverbium effici possit, ne Martinus quidem, qui cum Prantelio[1]) proverbii vim quam brevissimis finibus inclusit, silentio praeterire potuit.[2]) Quem fugeret discrepantiam, quae est inter sententiae communitatem et enuntiationis peculiaritatem sensim magis magisque minui[3]), ita ut relicto saepius nullo alio proverbii signo nisi manifesto quodam et specioso dicendi genere denique sententiae et enuntiati eadem sit communitas vel ut idem aliis verbis dicam, proverbium immutetur in sententiam, quam *γνώμην* vocant homines Graeci. Prantelius quidem et qui eius premit vestigia Martinus sententias communes, quamvis in volgus passim emanaverint, a numero proverbiorum segregant. Sed nimia in hac selegendi ratione severitas abhorret ab usu sermonis omnibus probato, quo etiam sententiae velut *ἧλιξ ἥλικα τέρπει, γέροντα δὲ γέρων*, Homeri versus ϱ 218 *ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον* et pro adagiis habentur et eadem vi usurpantur cum apud nos tum apud antiquos. Aristoteles enim rhet. II, 21 *ἔνιαι,* inquit, *τῶν παροιμιῶν καὶ γνῶμαί εἰσιν.* Ad nostrum quidem propositum, quoniam tantummodo de hominibus quibusdam, quorum nomina Graecis in proverbio erant, disserere instituimus, minoris momenti est iudicium facere de definiendis proverbiis. Tamen haec pauca de natura proverbiorum praemonenda nobis visa sunt, quod et nomina proverbialia rarius inveniuntur in proverbiis iustis quam in locutionibus proverbialibus et saepe ex enuntiati, quo continetur nomen aliquod, forma et sermonis specie concludi potest in proverbii consuetudine fuisse illud nomen. —

Tanto accuratius nobis quaerendum est, quaenam dicta et nomina volgo recepta fuerint: vix enim quisquam quae unius hominis sunt aut manserunt, quin ea a proverbiis secernenda sint dubitavit. Quodsi nihilominus nonnulla huius generis exempla hoc libello tractata esse invenies, ea de causa id factum esse memineris, quod nobis difficillimum est diiudicare utrum sententia vel locutio specie quidem proverbiali, sed quae casu quodam in scriptis veterum uno tantum loco nobis occurrat, pervolgata fuerit necne. Alii igitur alia opinor proverbia, ut publice non recepta, excutient. Altera inde oritur quaestio, quid sit illud volgus? Neque plebe tantum neque toto populo opus esse, ut locutio quaedam proverbii locum obtineat, consentaneum est. Quis enim neget proverbia, quae in una tantum urbe velut Athenis vel Alexandriae aut in una provincia usitata fuerunt, nihilominus esse proverbia? Neque illud genus locutionum omittendum est, quod dicitur Geflügelte Worte. Quamquam enim ea verba referri possunt ad

---

[1]) Die Philosophie in den Sprichwörtern. München 1858. [2]) p. 11. n. 1. [3]) cf. Martini p. 16 exempla: *ἁ δὲ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει — τῇ μὲν δίδωμι χειρὶ τῇ δὲ λαμβάνω — δός τι καί τι λάμβανε — ἡ χάρις χάριν τίκτει.*

certum quendam auctorem, cum proverbia ex totius quasi populi ingenio fluxisse videantur, tamen cum harum locutionum rationem habeo non repugno contra illam sententiam, quam supra probavi, ea quae unius cuiusdam hominis sint, esse neglegenda de proverbiis disputanti. Neque enim unius manserunt, sed non minus quam iusta proverbia omnibus eruditioribus[1]) probata et sermone trita sunt, ut vix qui adhibent, sibi conscii sint, laudare sese poetae vel scriptoris cuiusdam verba. Si quis igitur accuratius rem consideraverit, plurima eorum nulla alia re differunt a proverbiis nisi quod proverbiorum auctores iam non novimus. Quis autem vir doctus credat totum populum adagiorum esse parentem? Omnia enim, quaecunque a toto populo inventa et excogitata esse dicuntur velut carmina popularia, unum quendam inventorem vel poetam requirere apparet; sed mox inventor oblivione obrui solebat quippe qui aptis tantum verbis expressisset, quod multi animo sentiebant. Ita quae unius fuerunt omnium fiunt, qua de re verissime iam. del. Quintil. V, 11, 41 hisce verbis iudicavit: ea quoque, quae volgo recepta sunt, hoc ipso, quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt. Etenim tum demum quae quisque excogitavit, certo cuidam auctori servari solent, cum in litteris gens illa magis profecit. Accedit, quod saepenumero ne diiudicari quidem potest, utrum proverbium habeamus an laudata certi cuiusdam auctoris verba, cum poetae adagiis quoque ad versus leges immutatis uti soleant. Itaque omnia eiusmodi dicta de hominibus quibusdam, modo speciem proverbialem, qualem supra descripsi, prae se ferant, necessarie ad propositum meum pertinere arbitratus sum.

Quomodo quaestio instituenda sit. Haec quoniam satis de proverbiorum natura atque ratione ea agnoscendi disseruisse mihi videor, veniamus nunc ad eos viros doctos, qui nobis proverbia Graecorum tradiderunt. Non quo historiam criticam parœmiographorum retractaturus sim, quamvis magnum fructum (ex quo tempore felici Milleri manu Zenobii codex Athous anno 1868 luci redditus est) ad explicanda quoque proverbia ex scriptis eorum virorum doctorum Crusii praecipue, Cohnii, Warnkrossi, Jungblutii, Brachmanni, aliorum perceperimus, qui ut rationes enuclearent, quae intercedant inter singulos parœmiographos, strenue et feliciter operam dederunt; id tantum praemoneo: nos etsi vetus illud quasi corpus parœmiographorum,[2]) ex quo Byzantini fere toti pendere videntur, restituere possemus, hoc tamen parvi momenti esset ad quaestionem nostram, quoniam doctrinae Alexandrinae vix unum specimen integrum servatum est, sed omnia habemus excerpta, interpolata, depravata.[3]) Quamquam autem Alexandrinos aetatem non tulisse valde dolendum est, quippe quibus permulti fontes praesto fuerint, quos nos iam adire non possumus, tamen ne iis quidem omnibus in rebus fides habenda sit. Nam ipsi quoque

[1]) A. Otto, Die Sprichw. und sprichw. Redensarten der Römer p. XXI.
[2]) Crus. Anal. p. 130. [3]) Nauck p. 370.

cum unde singula quaeque proverbia orta essent tum unde nomina hominum quorundam in proverbii consuetudinem venissent, doctrina et sagacitate perspicere studuerunt; errare autem vel doctissimorum virorum est. Cumque ne e scriptoribus quidem, quemadmodum proverbium quoddam adhibuerint, omnibus locis intellegi possit, immo vero magnus numerus proverbiorum non testimonio scriptoris in tuto collocatus sit, in explicandis adagiis nitimur plerumque auctoritate scholiastarum, parœmiographorum, lexicographorum. Unde sequitur, si ratione ac via quaestionem instituere volumus, ut omne cautionis et diligentiae genus nobis adhibendum sit, ne temere eas proverbiorum interpretationes, quas parœmiographi, grammatici, alii excogitaverunt, pro veris harum locutionum originibus accipiamus. Itaque non solum exquirendum nobis est, utrum merito nomen hominis cuiusdam proverbiale dicatur necne, sed etiam ponderatis rationibus deliberandum, quantum quaeque explicatio verisimilitudinis habeat. Qua in re si deficientibus testibus fide dignis saepius nostris opinationibus coniecturisque utemur vel in dubio rem relinquemus, nemo aequus index, opinor, eam rationis cautionem vituperabit, praesertim cum ne in nostratium quidem plerisque proverbiis accurate dicere possimus, qua de causa homo quidam in proverbium venerit. De nonnullis quidem locutionibus velut: Dazu hat Buchholtz kein Geld, Bassermannsche Gestalten, sim. nunc Büchmanni librum adire possumus, quis sit Rothschild, Aschenbrödel al. omnes norunt, sed quis nos docet de locutione illa in Palaeomarchia usitata: Was Lehmanns Kutscher kann, kann Bocks Junge schon lange, vel de dicto illo: Das kann man halten wie der Pfarrer Asmann, de permultis aliis nominibus proverbialibus? Certe non ea via eundum est, quam viri docti aliquoties ingressi sunt, ut omnibus omnium parœmiographorum testimoniis eandem fidem habeant, sed ea quae apud parœmiographos aperte interpolata vel ipsorum inania commenta sunt, ab explicatione originis proverbiorum prohibenda sunt Unius cuiusque igitur enarrationis auctoritas, ut iam supra diximus, constat verisimilitate, quam praebet, si eam et solam consideraveris et cum aliis comparaveris.

Pauca deinde addere liceat de iis ‚proverbiis‘ nomen hominis exhibentibus, quae ductus iis quas supra explicavi rationibus hac commentatione non tractanda esse iudicavi. Quorum maxima pars sunt facete dicta, quae Graeci *ἀποφθέγματα* vocant. Collectaneis proverbiorum imprimis ab Apostolio inserta sunt, quem omnia, quibus copias suas si dis placet „proverbiorum“ augere posset, undique compilasse inter viros doctos constat.[1]) Duo dicta notissima *ἔῤῥει τὰ καλὰ* et *τοῦτο τὸ ὑπόδημα ἔῤῥαψε μὲν Ἱστιαῖος ἐπεδήσατο δὲ Ἀρισταγόρας* iam Diogenianus CPG I, p. 247; 315 exhibet, interpolata sine dubio. — Quodsi „Diogeniani“ prov. laudo, nomen celeberrimi lexicographi ob eam causam retinui,

[1]) Martin p. 17.

quod eo iudicatur, quo loco corporis paroemiographorum a Leutschio et Schneidewino editi huius collectionis adagiones invenire possis, quamquam satis scio, errore tantum libris manuscriptis, qui interpolatam Zenobii recensionem continent, Diogeniani nomen inditum esse.[1] Cum igitur ex nominibus auctorum, quae in corpore illo collectionibus adscripta sunt, de traditione adagionum illarum nihil certi iudicari possit, aptius esse duxi laudare corporis paginas, non auctores. Praeter apophthegmata Apostolius vel potius auctor eius ignotus proprio Marte multa proverbia vel flosculos dicendi sibi compilavit, quorum nonnulla, ut eius rationem proverbia factitandi illustrem, quod ad me attinet, hoc loco componam. (Qua methodo ille ductus sit, docte iam exposuit Hillerus in commentario de Photio, Suida, Apostolio[2]) neque Eustathii auctorem rectius cogitasse de vi et sententia proverbiorum videbimus.) Multa huius modi prov. Apostolii signo notata ex Palaephati Incredibilibus conglutinata sunt. En habes conspectum eorum:

Ὀμφάλῃ Ἡρακλῆς λατρεύει. Pal. 45. *Γλαῦκος πιὼν μέλι ἀνέστη* fictum ex Palaephati Incr. 27 interpretatione fabulae Apollodorianae (III, 3, 1) de Glauco, Minois filio, qui in dolium mellis plenum cum incidisset, mortuus esse, sed arte Polyidi Argivi ad vitam rediisse dicitur. cf. Ohlert p. 6 sqq.

Ἄτρωτος ὑπάρχεις ὡς ὁ Καινεύς Pal. 11, *Γλαῦκος φαγὼν πόαν οἰκεῖ ἐν θαλάττῃ* Pal. 28, de Glauco illo, qui dicitur *ὁ θαλάσσιος*. cf. Valcken. Diatribe Eur. eos. Welcker, Trag. Gr. II, 768.

Γοργόνα Περσεὺς ἐχειρώσατο Pal. 32. *Γλαῦκος ἄλλος ἱππόβρωτος* Pal. 26, de Glauco Corinthio, Sisyphi filio, qui a suis equis laceratus esse dicitur.

Ὡς τοῦ Φινέως τὸν βίον Pal. 23, *Μεταβλητότερος Μήτρας* Pal. 24. *Ἀλκήστιδος ἀνδρεία* et *Ἀλκήστιδος ἀναβίωσις* Pal. 41, quas locutiones Koch. I, p. 50 sine dubitatione pro veris proverbiis accepit. Similia sunt *Ὀρέστης ἐν ὄρεσι διαιτώμενος* CPG II, 568 „proverbium" e duabus Suidae s. *Ὀρέστης* glossis confusum, quarum altera nominis originem explicat: *ὁ ἐν ὄρεσι διαιτώμενος* sicut Plato quoque Cratyl. 394 E nomine Orestis indicatum esse dicit *τὸ θηριῶδες τῆς φύσεως καὶ τὸ ἄγριον αὐτοῦ καὶ τὸ ὀρεινόν*, altera spectat ad Timocratis filium, qui insaniam simulans noctu homines vestibus spoliare solebat, cf. Arist. Avv. 712. 1487 Acharn 1167 et schol. Aristophanem Orestis nomen in proverbium traxisse, ut insaniam notaret, ex illis locis concludi nequit. Recte Th. Kockius ad Avv. 712 opinatus esse videtur, ioculari cognomine Orestis temporibus belli Peloponnesiaci Athenis significatum esse comissatorem nocte vagantem.[3]) — Explicatio vocis *Ἀντιόπης θρῆνος* CPG II, p. 288 ipsius Apostolii esse commentum videtur, nisi forte totam doctrinam suam fonti

[1]) Jungblut p. 20 sqq. Crus. An. p. 23. [2]) Philol. 34, 226—234. cf. Crus. Mus. Rh. 42, 386 sqq. [3]) cf. Riess, M. Rh. 49, 181 adn.

nobis ignoto debet.[1]) Haud minorem suspicionem movet *Τιτυοῦ σε περιμένει καὶ Ἰξίονος κολαστήρια* CPG II, 680, de quibus in Orco crudelissimis poenis affectis narrationem hausit e Nonni narrat. p. 171 sq. De aliis proverbiis, quae quis in dubium vocare possit, suis locis disputabitur. E comicorum quoque facetiis, quas nunquam in proverbio fuisse apparet velut *Καρκίνου ποιήματα* Arist. Ran. 151. Avv. 150 cf. Suid. s. v. haud ita paucas silentio praeteribo. Homines enim, quales Philepsius, Patrocles, alii[2]) fuerunt, si apud comicos et fortasse apud volgus Atheniensium aliquamdiu, certe non extra fines Atticos proverbii locum obtinuisse, vel inde pro certo affirmari potest, quod a posterioribus scriptoribus in fabulis et personis comoediae antiquae versatissimis velut a Luciano et Libanio, quo nemo fuit adagionum amantior, mentio eorum non fit. Quid, quod etiam parœmiographorum nemo fere praeter unum Apostolium eos in farraginem suam recepit?

Sed eae glossae, quas a proverbiorum genere alienas esse non primo statim adspectu perspicitur, explicationem poscere mihi visae sunt, ut num proverbiales sint iudicandae statueretur. Denique Romanorum proverbia a Graecis tradita velut *Κοττᾶς Μάξιμος* Plut. Crus. p. 12. Crus. ad. Plut. p. 256. *Σύλλου φιλία καὶ Μετέλλου τοῦ Πίου* CPG II, 646. Suid. s. *τί γὰρ δή* al. me neglexisse nemini, spero, displicebit. His omnibus separatis primum meum putavi reliqua apte distinguere et ad suas causas generatim revocare, ut et intellegi plenius et iudicari rectius possint. Hinc oritur quaestio, quomodo materia optime disponenda sit. Si more veterum parœmiographorum ordinem litterarum servaveris, proverbia quae necessitate quadam inter se coniuncta sunt, misere distrahentur. Duo relinquuntur partitionis genera, ut aut secundum vim et sententiam aut secundum originem adagiones digerantur. Quorum prius si adhibeamus, nimia copia capitum evadat, alterum optimum sine dubio est, quippe cum quid significaverit nomen quoddam proverbiale plerumque constet, unde homo quidam in proverbii consuetudinem venerit, quaerendum sit. Itaque totum opus disponam in partes duas, quarum altera agam de iis hominibus, qui ob certum quoddam factum in proverbio fuerunt, altera de iis, qui conditionibus et ingeniis adeo praeter ceteros floruerunt, ut eorum nominibus tota genera hominum significarentur. Pars prior iterum divisa erit in capita duo, quorum alterum erit de iis proverbiis, quibus res ab aetatis fabulosae hominibus gestae celebrantur, alterum de adagionibus locutionibusque volgaribus a rebus gestis fatisque hominum quorundam eius aetatis petitis, quae historiae

[1]) Leutsch CPG II praef. XIX, 1. Crus. Anal. 38 sq. [2]) De „prov.“ *Σεσέλλισαι κατ' Αἰσχίνην* v. adn. Gott. ad CPG II, p. 640. Ex docta quaestione R. Meisteri in Ann. 141 (1890) p. 673—678, ut evincitur nomen Sellorum, qui erant Jovis Dodonaei *ὑποφῆται ἀνιπτοπόδες χαμαιεῖναι* Hom. *Il.* 235 appellativum factum esse de hominibus sordidis usurpatum, ita non apparet Aeschinis nomen in proverbio fuisse.

fidei propior est. Deinde quae quantum nos iudicare possumus verae proverbiorum origines vel ob ipsam explicationis parœmiographorum praestantiam vel aliis de causis iudicandae sint conatus sum indagare. Libellum nimia exemplorum copia amplificare nolui, etsi maiorem eorum partem contuli; nam quae perspicua sint ea longa esse non debere arbitratus sum. Qua de causa in parte altera plerumque satis habui, in suas classes nomina distribuere, ut conspectum habeas; horum enim proverbiorum origines aut notissimae sunt aut vix illustrari possunt. Haec habui, quae de meis disserendi consiliis institutisque dicenda viderentur; cum plus otii nactus ero, spero me etiam de nominibus geographicis, quae Graecis in proverbio fuerunt, agere posse.

De proverbiis, quibus falsa enarratione nomen hominis inesse videtur. Sed priusquam ad ipsum aggrediamur propositum, nonnulla removenda sunt, quae obstant et impediunt. Sunt enim proverbia quaedam, quibus falsa tantum enarratione hominis nomen inesse videtur nec non alia, quae nomina continent non vere propria, sed quae dicunt significantia quaeque ob lusum verborum volga placuerunt. De his pauca praemonuerim.

Quam propensi fuerint Graeci ad omnes voces, quos non iam satis intellegebant, ea ratione explicandas, ut eas quasi humana specie induerent, si e nulla alia re certe inde colligi potest, quod etiam ex locutione *ἐν ὅλμῳ εὐνάσω* CPG I, 72 nonnulli vatem quendam Holmum fingere ausi sunt. Haec explicationis ratio et commodissima est et Graeculorum ingenio conveniens, quibus nullam fere gentem magis fabulis fictis delectatam esse inter omnes constat. Omissis igitur aliis quibusdam ‚proverbiis' a limine prohibenda sunt nomina quaedam, quae quin e carminibus vel modulis popularibus a doctioribus veterum ficta sint, nemo dubitat, velut ex cantum lugubrium genere natus est inventor eorum *Ἰάλεμος*[1], ex cantu messorio *Λιτυέρσης*[2]) quem Midae filium appellant. De huius modi fabularum nominumque natura atque origine iam Welckerus in disputatione illa, quam de Lino doctrinae et ingenii plenam conscripsit, docte et circumspecte disseruit.[3]) Deinde proverbia quaedam ad animalia recte pertinentia ab enarratoribus repetita sunt ab hominibus. Prae ceteris Demo atthidographus huic generi explicandi proverbia narratiunculis fictis nimis indulsisse videtur. Quamquam enim nomen eius in his explicationibus non invenitur, tamen et totum eorum quasi colorem Demonianum esse et certis quibusdam formulis dicendi velut *ὥς φασιν* auctorem

---

[1]) Hes. s. *ἰάλεμοι* et *ἰάλεμος*. Nauck. Arist. Byz. frg. p. 184 sq. „ialemus" vox lugentis est cf. CPG I, 95; 392; 420 Eust. Il. Z 636 *ἰαλέμου ψυχρότερος* vel *γυμνότερος* (cf. nostrum ‚kahl'), schol. Eur. Rhes. 892. Orest. 1374. [2]) Schol. ad Theocr. X, 41 ex Apollodoro. Panofka, Archaeol. Ztg. 1844, p. 383 sq. Müller, Dorier I, 347, Tribukait p. 43. [3]) Opusc. I, 11 sqq. Ceterum Apostolius ex Menandri in Chalced. versu *ᾄδοντα Λιτυέρσην ἀπ' ἀρίστου τέως* Mein. CGF. IV, p. 146, suo more proverbium invenit *Λιτυέρσην ᾠδὴν ᾄδεις*.

innui recte perspexit O. Crusius, Anal. p. 146 sq. CPG I, 107 Zenobius igitur praeter veram simplicemque explicationem ab ave sumptam refert proverbium κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν ad Coracem rhetorem eiusque cum Tisia discipulo causam celeberrimam.[1]) Quin verissime CPG I, 359 proverbium illustratum sit verbis ἐπὶ τῶν ἐκ κακῶν γονέων ὄντων neminem dubitare credas, sed quantum etiam apud viros doctos valeat interpretationum consuetudo et auctoritas, exemplo est Novák in Ann. Suppl. XIII, p. 449.[2]) Eadem ratione proverbium κανθάρου σοφώτερος, ductum a vetustissima[3]) fabula de cantharo aquilam ulciscente [ἀετὸν κάνθαρος μαιεύεται cf. Crus. Görl. p. 34], apud omnes parœmiographos explicatur narratiuncula, Demoniana ut videtur, ad res Atheniensium spectante. Ad idem animal referenda sunt κανθάρου μελάντερος et κανθάρου σκιά.

Confidenter etiam contendam Tarentinum illum pugilem Murem nihilo magis unquam fuisse quam Cantharum, cauponem Atheniensem. Cum enim Mus athleta Aegyptius, quem commemorat Philostratus[4]), plane alius sit, vehementer movetur suspicio Demonem, cuius vestigia indicavit Crus. An. 146, narratiunculam de athleta illo, qui Olympiae concertans cum multos haberet adversarios multis plagis acceptis aegre tandem vicisse dicitur, ipsum sibi finxisse ad explicandum proverbium ὅσα μῦς ἐν πίσσῃ sc. ἔπαθεν,[5]) quoniam a nemine illius pugilis nisi a parœmiographis fit mentio. Animal illud in fabulis Aesopeis celeberrimum hoc loco significatum esse alio proverbio ἄρτι μῦς πίσσης γεύεται[6]) verisimile fit neque dissimilis est locutio apud Borussos orientales sermone trita: wie eine Maus sive wie ein Mops in der Teerpaudel; dicitur de iis, qui nesciunt, quid agant vel quo se vertant. Crusius[7]) de ea quam prius habuit sententia sine iusta causa destitisse mihi videtur. Apud Herondam enim in mimiambis nuper repertis II, 63—65 Battarus leno haec dixit (ed. Buecheler):

πέπονθα πρὸς Θάλητος ὅσσα κὴμ πίσσῃ
μῦς· πὺξ ἐπλήγην, ἡ θύρη κατήρακται
τῆς οἰκίης μευ, τῆς τελέω τρίτην μισθόν,
τὰ ὑπέρθυρ' ὀπτά.

Quae verba Buech. ed. p. 12 vertit: „passus sum a Thalete mala tot adeo quot in pice mus: pugnis ictus sum, foris deiecta est domus meae, cuius solvo trientem pensionem, superlimen tostum.“

Quid opus est pugile? Quae passus sit leno non modo explicatur verbis πὺξ ἐπλήγην sed etiam insequentibus, ut ὅσσα μῦς ἐν πίσσῃ et hoc loco et omnibus locis dictum sit pro malis gravissimis, quin etiam verisimilius facile videatur proverbii

---

[1]) Luc. Pseudol. 30. Ohlert p. 211. [2]) Von böser Kuh kommt kein gutes Kalb, Becker, Das Sprichw. in nation. Bedeutung 12. [3]) Welcker, Opusc. I Aesop. Bauck p. 61. [4]) ed. C. L. Kayser Lips. 1871. 2, 283, 16 cf. Förster, Die olymp. Sieger. Progr. Zwickau 1891. [5]) CPG I., 139. II., 306. Suid. s. μῦς π. γ. [6]) Theocr. XIV, 51 μῦς φαντὶ Θυώνιχε γεύμεθα πίσσας cf. Tribukait 32. [7]) ad Herondam p. 41, cf. p. 4. 5.

explicationem illam de pugile sumptam originem traxisse ex verbis Herondae: *μῦξ ἐπλήγην*. Siquis tamen Muris Tarentini vitam et victoriam Olympicam prorsus negare dubitaverit, illud saltem concedat, sal et acumen in verbis *ὅσα Μῦς ἐν Πίσσῃ* ad pugilem relatis vix contineri nisi antea pervolgatum erat simile quoddam proverbium ab animali repetitum.

Nomen Chelidonis, veteris cuiusdam vatis, cuius mentionem fecit Mnaseas[1], cum prorsus ignotum esset, fortasse e falsa prov. *πυθοῦ χελιδόνος* interpretatione ortum esse iam coniecerat Lobeckius[2] cui facile quivis assentiet ceteris huius modi explicationibus in comparationem vocatis. Proverbium mihi videtur agrestium praeceptum fuisse inde ortum, quod haec avis ver nuntiat: quippe enim CPG II, 631 explicatur *ἐγκαίρως ποίει τὰ σαυτοῦ*.

Bernhardius ad Suid. *ἔξω Γλαῦκε* locutionem ad Glaucum, deum marinum, referri debere arbitratus est, cum niteretur Hesych. s. v. *ἔξω γλαῦκε* interpretatione: *ἐπεὶ δοκεῖ ὁ Γλαῦκος φανεὶς χειμῶνα σημαίνειν*: ita comparandus esset, opinor, Glaucus cum daemone, quem nautae nostri appellant Klabautermann. Quae ratio quanta sit infirmitate intelleges si scripseris *γλαῦκε*. *γλαῦκον* esse piscem marinum, cuius adspectus nautis procellam nuntiare videbatur, explicat Apost. CPG II, 409, cuius in sententia merito editores Gotting. acquiescendum esse statuerunt allato loco persuasionis pleno e Nausicratis *Ναυκλήρῳ*, cf. adn. ad CPG I, 408, 72.

CPG II, 16 prov. *ἀτταγᾶς νουμηνίῳ συνῆλθεν* derivatur ab hominibus quibusdam Thessalo et Corinthio propter improbitatem famosis. At utrumque nomen avis est, ita ut eadem proverbii sententia sit atque illius *γλαῦξ κόρακα ἐγγυᾶται*. Recte explicationem instituerunt Gotting., sed alius huius modi proverbii quasi heros eponymus, ut Crusii verbis utar, doctissimis viris imposuit. Nam prov. *Βυζίνη παῤῥησία* duci solet a Byzino quodam, quem Neptuni filium fecerunt parœmiogr.

CPG I, 49. II, 17; adnotavere Gott. ad I, 49: Byzanta heroem, Neptuni et Ceroessae filium novi, Byzinum non item. Quid mirum, siquidem Byzinus, Neptuni filius, nunquam quantum scimus, in fabulis fuit? Proverbium spectat avem *βύαν* s. *βύζαν* quam Romani bubonem appellant. Neque pauciores alias locutiones vel glossas parœmiographi cum rectam interpretandi viam neglegerent corruperunt fictisque enarrationibus illustrare studuerunt, velut Lamo rex Apostolio natus est ex prov., quod minus corruptum servavit schol. ad Hom. Il. Ω 192: *ἐν τυφλῶν πόλεϊ γλαμυρὸς* (i. e. luscus) *ἐμβασιλεύει* neque minore errore *Δακτύλου ἡμέρα* et fictum et explicatum est, cum parœm. nescirent *δάκτυλος ἁμέρα* esse dictum Alcaei de brevitate vitae humanae. De voce

[1]) ap. Phot. Suid. s. v. et s. *χελιδόνος* CPG II, 631. [2]) Aglaoph. I, 304 n. Arist. frg. 499. cf. Bauck 29. Herodian. *Π. μον. λέξεως* IX, 6.

Ἀδράστεια νέμεσις Slothouber p. 9—12 paene necessario fusius disputavit. Rectissime statuit v. d. iustum proverbium id non esse neque originem duxisse ab Adrasti aut filii eius aut Thebanorum calamitate aut ab alio quodam Adrasto, ut varietate gaudentes tradunt parœm.,[1]) sed vocabulorum alterum alterius esse interpretamentum, cum Ἀδράστεια necessitas aeterna et inevitabilis intellegatur. Nihil aliud miror nisi quod v. d. in tanto testium concursu mentionem non fecerit Eustathii ad Hom. *B* 828 p. 355, 28 vel auctoris eius Pausaniae, qui ceteris sententiis commemoratis βέλτιον explicari duxit vocem Ἀδράστεια vocabulo ἄφυκτος vel ἀναπόδραστος antiqua nimirum doctrina nisus. De ratione quae intercedat inter Adrasteam et Nemesim v. Lehrs. Popul. Aufs.[2] p. 56 sq.

CPG I, 48 ad prov. βάλλ' εἰς Μακαρίαν duae appositae sunt explicationes, altera eorum, qui euphemismum id esse dicebant idem significantem atque βάλλ' εἰς δειλαιότητα, altera eorum, qui hoc prov. describi putabant Macariam, Herculis filiam; narrant enim Macariam pro fratribus cum Eurystheo bellantibus sponte se devovisse morti. In cuius tumulum cum Athenienses flores et coronas conicerent ex mutua cohortatione: „conice in Macariam" proverbium natum esse. Quae exsecrationis interpretatio non solum et per se frigida est et longe petita, ut pravae tantum doctrinae placere possit, sed habemus etiam, ad cuius exemplar enarrator finxit explicationem, locum Euripides Hec. 571 sqq. Iocularis igitur euphemismus in hac locutione inest, quem Papius apte expressit verbis: einem die ewige Seligkeit wünschen; de palude Marathonia minime cum E. Grünwaldio p. 8 cogitandum est. Artificiosioris quam verioris illius narrationis de Macaria, Herculis filia, auctorem esse Demonem summa probabilitate putavit Crusius Anal. p. 145, cum iam Wilamowitzius Eur. Her. Ind. sch. Gryphisw. 1882 p. IX de alio atthidographo, Istro, cogitasset. De origine vocis ex fabellis miraculosis vetustissimis ortae adeas Crusium Görl. p. 36.

Huic loco asserendum videtur nomen Aletae i. e. erronis, quod Hippotae filio inditum esse dicitur ob patris exsilium et errores.[2]) Simili ratione et Homerus campos, ubi erravit Bellerophontes, appellavit Ἀλήιον πεδίον et aliorum heroum filii nomen a rebus gestis parentum acceperunt velut Tisamenus Orestae, Eurysaca Aiacis, Astyanax Hectoris filius al. cf. Müller Dor. I, 63. Proverbium autem traditum est versu parœmiaco λέγεται καὶ βῶλον Ἀλήτης.[3]) Aletam enim exsulem a bubulco quodam in agro Corinthio cibum petisse cumque is per ludibrium glaebam ei dedisset, his verbis omen accepisse narrant — glaeba enim in veteribus oraculis regnum significabat — neque multo post Corinthi

[1]) CPG I, 9. 189. II, 137. 246. [2]) Apollod. II, 8. O. Müller Dor. I, 84. Diod. VII. 7. [3]) CPG I, 63; Duris ap. CPG I, 328. Paus II, 4 schol. Pind. Nem. VII fin. Olymp. XIII, 17.

regem factum esse; alii rem paulo aliter tradiderunt. Sed nihil opus est Aleta heroe ad explicandum proverbium. ἀλήτης enim est vagans mendicus, qui vel vilissimam rem libenter accipere coactus est.

Prodici sophistae sapientiam in proverbii consuetudine fuisse non recte existimavit Welcker. Opusc II, 395. Nam CPG II, 623 Προδίκου σοφώτερος explicationem sumpsit ex Suidae glossa s. Πρόδικον· δικαστὴν ἐπὶ φίλων καὶ διαιτητήν quae quomodo corrupta sit apparet e Photio s. πρόδικον δίκην· τὴν ἐπὶ φίλων καὶ διαιτητῶν. προδίκου σοφώτερος si prov. esset, significaret ergo: weiser als ein Schiedsrichter; sed Apostolii inventum esse videtur cf. Zeller, Phil. Gr^3 I, 872 n. 1. Hiller, Phil. 34, p. 226 sq.

Vocem Τερμέρια κακά non tam a praedone quodam Termero originem accepisse, id quod docent Plut. Thes. 11. Phot. s. Τερμέρια p. 206 Nab. CPG II, 215, quam ab oppido Termera vel Termerio, quod inter Myndum et Halicarnassum situm erat, et per se probabile est, praesertim cum Termerus fabulosus illius oppidi conditor eponymus sit, et Photio probatur s. Τερμέρια κακά p. 208 Nab., qui proverbium inde ortum esse ait, quod qui castellum obtinebant sive τύραννοι sive Τυῤῥηνοί, ut coniecit O. Müller, Etrusc. I, 79. fuerunt, in agros accolarum praedatum incurrebant. Fieri autem potuit, ut ad prov. pervolgandum pertineret, quod subaudiebatur vox μερμέριον κακόν i. e. ingens malum; quantopere enim homines Graeci talibus lusibus delectati sint, satis constat.[1]) CPG II, 665 incogitanter quasi explicatio addita est τερμία γὰρ ἡ ἡμέρα, ἐφ᾽ ἧς μέλλει τὸ τέρμα τοῦ βίου εὑρήσειν; nam vox τέρμιος non extremam calamitatem, sed supremum tempus significat cf. τερμία χώρα Soph. O. C. 89 τερμία ἡμέρα Soph. Ant. 1331. Denique inter nomina vere propria vix numeranda sunt ea, quibus non certus quidam homo significatur velut Manes, Davus sim. adhibentur de toto servorum genere: εἰς ἀγρὸν Μάνης CPG I, 397. Hes. s. v. cf. Suidae s. v. interpretes. Haud scio an eiusdem generis est nomen feminae in prov. CPG I, 416: ἡ Θρᾶττα ἐπὶ τῷ ταρίχει. Nomen ancillae sine dubio est; quod narratur eam vini cupidam sitire sese dixisse, quia salsamentum comedisset, comoediam sapit.

De proverbiis nomina significantia vel lusum verborum continentibus. Comicorum imprimis Doricorum frequens usus nominum significantium, quae enumerare longum est, omnibus antiquarum litterarum peritioribus notissimus est. Neque igitur mirum est, ex hoc quoque nominum genere nonnulla in proverbiorum consuetudinem venisse. E Sophrone emanavisse prov. Βουλίας δικάζει probabilitate quadam colligi potest e Demetrii de elocutione 153 ὁ παρὰ Σώφρονι ῥητορεύων Βουλίας οὐδὲν ἀκόλουθον ἑαυτῷ λέγει. In huius modi nominibus propriis

[1]) De voce μερμέριον κακόν v. Ruhnken. ad Timaeum p. 178 Jacobs. ad Anth. P. III, 663.

enarrationes parœmiographorum, etiam in ceteris proverbiis dubitationum plenas, nullius fere momenti habendas esse, quicunque respexerit Demonis, Mnaseae, Clearchi, aliorum fabulas, facile confitebitur. De sententia igitur proverbii, cum antiqui scriptoris testimonium desideremus, dubitari licebit utrum recta sit parœmiographorum explicatio *ἐπὶ τῶν τὰς κρίσεις ὑπερτιθεμένων δικαστῶν* — tam diu enim eum distulisse iudicium, ut, antequam pronuntiaretur, mortuus sit, — an Crusii, qui simili modo atque Battarum cinaedum apud Herondam II. causam dixisse apud Sophronem Buliam haud illepide e Demetrii verbis coniecit.

Vocem *Ἀκεσιας ἰάσατο* de malis medicis usurpatam esse comprobat Libanius ep. 319. *Ὅλην δέ,* inquit Zenob. *Ἀριστοφάνης ἐν τετραμέτροις ἐκφέρει λέγων· Ἀκεσίας τὸν πρωκτὸν ἰάσατο;* quae verba corrigenda videbantur Schneidewino:

τὸν δὲ πρωκτὸν Ἀκεσίας ἰάσατο.

Quid autem sibi velit *Ἀριστοφάνης ἐν τετραμέτροις,* valde inter se dissentiunt viri docti, cum Bernhardius ad Suid. s. v. Dobraeus, qui proposuit *ἐν τετάρτῳ ἀμέτρων* vel *ἐν ταῖς ἀμέτροις,* Leutsch. in commentatione Phil. XIII inserta cogitent de Aristophane grammatico, Fabricius contra Bibl. Gr. V, 112 et Zell. Ferienschriften I, 116, quibus adstipulatur Schneidewinus CPG I, 21 Aristophanem comicum innui putent. Tamen sine ullo dubio Aristophanem grammaticum, qui proverbia disposuit, ut sint *ἔμμετρα* atque *ἄμετρα,* Zenobius auctorem prov. laudare voluit. Nomen *Ἀκεσίαν* ab *ἀκεῖσθαι* recte duxisse Coraem ad Heliod. II, 143 glossa Bekk. Anecd. Gr. I, 317, 19 comprobatur *Ἀκεσίας· ἀντὶ τοῦ ἰατρός.* Similes, ni fallor, in Graecorum sermone egit partes medicus ille *πρωκτόσοφος* atque apud nos famosus ille Dr. Eisenbart.

Callippidis quoque nomen ad comoediam attinere videatur, cum Strattidis fabulae id inscriptum esset. Quod Grasbergerus[1]) putavit, posse nomini subesse vim obscenam, id non comprobatur explicationibus et Graecorum CPG II, 757 *Κάλλιππος τρέχει* et Romanorum Cic. epist. ad Att. XIII, 12, 3. Suet. Tib. 38, ex quibus elucet, nomine Callippidis significari hominem cursitando ne cubitum quidem progredientem vel ut proprie dicam eum, qui cum multis rebus operam det, nihil conficiat.

Sicut autem ne haec quidem nomina comicorum inventa esse videntur, sed ex popelli vetustissimo penu sermonis deprompta, ita alia multa eiusmodi proverbia comoediae vestigia omnino non praebent. Huc pertinent prov.: *Ἅβρωνος βίος*[2]) cuius nomen ductum ab *ἁβρός*, cf. *ἁβροδίαιτος*. Nostri: Schlaraffenleben Crus. Görl. 37. *Κέρδων γαμεῖ* CPG II, 36, cuius nomen Cerdo i. e. lucrio Romanis quoque usitatum fuit, quasi nos diceremus Hans

[1]) Die griech. Stichnamen p. 35. De nominis forma varia cf. Crus. Fleck. Ann. 143 (1891), 391. Wochenschr. f. kl. Phil. 1891, 430. [2]) Sine iusta causa Martinus p. 12 Habronem certum quendam Atheniensem fuisse arbitratus locutionem vertit: wie Rothschild leben.

Schlau vel Schlaumeier hält Hochzeit. In codice Athoo [Miller p. 365] et CPG I, 273 *λευκώλενον λίνον κεϱδογαμεῖς* prov. corruptum et cum alia glossa misere conglutinatum est; rem impeditissimam, quoad fieri potest, illustravit Crus. Anal. 54 sq.

Iam lusum verborum praebent locutiones: *μὴ δεῖν τὸν Οἰνέα Πηλέα ποιεῖν* Athen. IX, 484 C: „man soll den Reber nicht zum Treber machen" Papius, Onom. 1041; *Ναύσων ναυκϱατεῖ, δεινότεϱα Δεινίου* CPG II, 156 et Suid. s. *ἔσχατα ἐσχάτων* ubi etiam *κέντεϱα Κέντωϱος*. Ad fraudes, quae in mercatura fieri solebant, spectat *ὁ Δικάβου κάβος*, quem Crus. An. 54 intellegit *κάβον* eius viri, qui unum vendere solet pro duobus. At res non satis certa esse videtur. *κάβος* quidem genus mensurae frumentaceae est, sed quamquam lectio Athoi III, 82 *δικάβου* praeferenda est alteri *κάβου κάβος* apud Suid. s. *κάβος* et CPG I, 422 tamen dubitandum est, an *δίκαβος* i. e. duo *κάβοι* loco nominis proprii adhibitum sit.

De aliis nominibus significantibus vel ob lusum verborum proverbii locum obtinentibus velut Lyncei, Daedali, Tantali aptius suis locis disserendum erit, cum sint eorum hominum, qui certam quandam personam in fabulis nacti sunt. Iam veniamus ad ipsum propositum!

Pars I.

De proverbiis locutionibusque volgaribus, quae ab hominum quorundam rebus gestis vel fatis profecta sunt.

Caput I.

De proverbiis, quae e fabulis nata sunt.

Ac primum quidem de prov. ex lato historiae fabulosae campo petitis agere mihi proposui, quibus Graecorum sermo abundavit. Vix enim, si quaeris de proverbiis a rebus gestis hominum Graecorum sumptis, historiam aetatis fabulosae, quam dicimus, omnino omittere poteris, cum Graeci et heroas mortales fuisse crederent et eorum memoriae eandem fere fidem tribuerent atque aequalium, quae narrabantur, rebus gestis. Sed memineris, quaeso, me hoc loco de iis tantum proverbiis disserturum esse, quae originem traxisse dicuntur ab aliqua re gesta, ea autem quae pertinent ad naturam indolemque quorundam huius aetatis hominum, in parte altera tractanda mihi sumpsisse.

De proverbiis a carminibus epicis profectis. Uberrimus igitur fons fabularum posteris fuerunt carmina Homeri poetarumque cyclicorum, qui illius carmina inter se coniungebant et supplebant, narrando quae ante iram Achillis et post Hectoris mortem dirutamque Troiam facta erant. Certe mirum esset, si harum fabularum personae omnibus a pueris notissimae non in proverbii consuetudinem venissent. Ita celeberrima Homeri in Il. *Ζ* 152 sqq. narratione de Bellerophantae *σημειοις* factum est, ut *καθ' ἑαυτοῦ Βελλεροφόντης*[1]) vel similes locutiones — nam *Βελλεροφόντης καθ' ἑαυτοῦ γράμματα* non stabilem proverbii formam fuisse, elucet ex Eust. ad Od. *λ* 580 p. 1701, 5 ed. Rom., ubi certa quadam ratione ex Homeri narratione hoc proverbium factum esse, ipse confitetur[2]) — de iis usurparentur, qui sibi ipsi mali quid afferunt. Idem igitur significabant Bellerophontae litterae ac nostrum illud: Uriasbrief. Et Plaut. Bacch. 810.

Bellerophantam tuos me fecit filius / Egomet tabellas tetuli, ut vincirer / et aliis Plutarchi imprimis (de cur. 9. de mul. virt. 9) et Luciani (pro merc. cond. 3 adv. indoct. 18) testimoniis in volgi ore versatum esse Bellerophontem constat, cum nepotis eius, Glauci, arma aurea cum Diomedis aeneis mutata (*Ζ* 235 sqq.) apud doctos tantum homines laudari videantur: cf. Stratonis epigr. in Anth. Pal. XII, 204 *Χρύσεα χαλκείων . . .* et *οὕτω Τυδείδης Γλαῦκον ἐδωροδόκει.* Plato Symp. 219 A *χρύσεα χαλκειων διαμείβεσθαι.* Martial IX, 94, 3. Cic. ad Att. VI, 1, 22.

Item non tam proverbium quam laudatus Homeri *Τ* 302 locus est: *Πάτροκλον πρόφασιν,* quod prov. Eustathius recte explicat: *ἐπὶ τῶν προσποιουμένων μὲν ποιεῖν τι διὰ τήνδε τινὰ αἰτίαν, τῷ ὄντι δὲ ἄλλως τοῦτο ποιούντων.* Neque enim solum ut apud Homerum de luctibus simulatis id dictum esse, testis est Plut. de se ips. laud. 19: *μὴ δοκῶμεν Πάτροκλον πρόφασιν σφᾶς δ' αὐτοὺς δι' ἐκείνων ἐπαινεῖν.* Achilles quoque Tatius II, 34 laudat verba Homeri *Πάτροκλον πρόφασιν,* ubi sine iusta causa Guyetus volebat *Πατρόκλου.*[3])

Kochius (I, 48) in corpore paroemiographorum desiderat adagionem *Ἀγαμεμνόνειος δαὶς ἢ τράπεζα,* quod spectat fabulam ab Hom. *δ* 528 *λ* 411 et Soph. Elect. 284 prolatam, Agamemnonem ab Aegistho inter epulas occisum esse. Sed ab Eustathio, qui solus huius proverbii mentionem fecit p. 1507, 62 vel auctore eius id inventum esse ex ipsius, opinor, verbis apparet: *ὡς καὶ τοῦτο λεχθείη ἂν Ἀγαμέμνονος δαὶς ἢ τράπεζα παροιμιακῶς ἐπὶ τῶν ἐπ' ὀλέθρῳ εὐωχουμένων.* Neque meliorem speciem prae se fert prov. *Ἀγαμεμνόνεια λουτρά,* quo solus utitur Eust. Op. p. 331, 19 T. cf. Crus. Phil. S. VI, p. 304. At de nominibus Homericis iudicium nobis cautum sit; cum enim omnibus

[1]) Plut. Crus. 11. Crus. ad Plut. 249. CPG I, 261. Suid. s. *ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς κακὰ ἐπιφερόντων.* [2]) Hotop, De Eustathii prov. Ann. Suppl. XVI, 294. [3]) Achill. T. ed. Jacobs. p. 590.

illa notissima essent, facile loco nominum appellativorum et adhiberi poterant et adhibita sunt, qua de re videas Hiller. in Ann. 113, 784 sq. Friedländer., Darstellg. aus d. Sittengesch. Roms I⁵ 516. Omnibus temporibus et ubique terrarum factum esse, ut populi memoria magna et vetera monumenta, quorum auctores iam non noti erant, aut deis aut validissimis et potentissimis hominum, regibus imprimis attribuerentur, quis nesciat? Sic Graeci quoque et ad Herculem, Cyclopas, alios permulta et ad Agamemnonem rettulerunt magnos puteos[1]) in Attica, ad Aulidem, tota Graecia ex summa antiquitate servatos. Quae *Ἀγαμεμνόνεια φρέατα* etiam proverbii loco usurpata esse de magnis operibus traditum est ab atthidographo quodam, cuius nomen est corruptum ap. Hesychium *Δῆμος*, apud parœmiographos excidit. Cum a parœm. Demonis Atthida adhibitam esse nullo alio loco demonstrari possit, Clitodemo potius ‚proverbium‘ quod dicitur attribuendum est.

Quod autem attinet ad proverbium *Ταντάλειοι τιμωρίαι* facile id omnium usitatissimum fuit apud antiquos, ita ut etiam apud nos pervolgata sit vox Tantalusqualen. Polybius IV, 45, 6 ea aptissime usus est de Byzantiis, qui semper a barbaris messibus privabantur. Explicant prov. Suid. s. *Ταντάλειοι* CPG II, 772. 657. Lucianus am. 53 eas poenas dicit *Ταντaλείους δίκας*, Paulus Silent. in Anth. Pal. V, 236 *Ταντaλέην ποινήν* Greg. Naz. ep. VII, 772 A. vitam miserrimam vocat *Ταντάλειον ζωήν*. Singulae quoque partes huius cruciatus quas descripsit Hom. λ 582—592 proverbii loco erant velut *Ταντάλου πῶμα* ap. Achill. Tat. II, 35. *Ταντάλου δίψος* Plato Axioch. 371 E. *Ταντάλου δίψαν διψῶ* ap. schol. Eur. Orest. 6. *δένδρα Ταντάλου* Eust. λ 590 Athen. I, 25 B. Nondum autem Tantali lapidis Homero fit mentio, quem quantum scimus e. schol. Pind. Olymp. I, 97 praeter Archilochum *μηδ' ὁ Ταντάλου λίθος τῆς δ' ὑπὲρ νήσου κρεμάσθω* Alcaeus et Alcman commemoraverunt. Neque vero cum alio schol., quem secutus est Osannus in Mus. Rhen. I, 1833, p. 62, de monte Sipylo cogitandum est, quem secundum plane aliam fabulam (schol. Od. l. l. Pind. Ol. I, 90 et 97. Ant. Lib. 36) Tantalo ob periurium imposuisse dicitur Iuppiter, cum nec *λίθος* sit mons nec de monte imposito narratio fiat, sed de lapide vel saxo super caput eius impendenti, unde Latini scriptores „impendere Tantalo saxum“ dixerunt velut Cic. de fin. I, 18 Lucr. III, 993, Graeci *λίθον ἐπηρτημένον* Sopat. Stob. XLIV p. 311. Paus. X, 31 vel *Ταντάλῳ ὑπὲρ κεφαλῆς λίθον κρέμασθαι* Hyperides ap. Alex. schem. VIII, 457 Walz. Qui proverbium fecerit *Ταντάλου λίθος ὑπὲρ κεφαλῆς ταλαντεύεται* (Suid. s. *Τάνταλος* CPG II, 126; 373) Pind. Ol. I, 91:

πατὴρ ὕπερ
κρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον
τὸν αἰεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν εὐφροσύνας ἀλᾶται

[1]) Argis Danaus puteos invenisse credebatur cf. Heffter, Götterdienste auf Rhodos II, 67.

imitatum esse rectissime iam Porso ad Eur. Orest. 5:

κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον
ἀέρι ποτᾶται

monuit, ubi de Tantali lapide testimonia veterum contulit. Ex Eur. l. l. ortum esse adagium *Ταντάλου φόβον φοβοῦμαι* testatur schol.; alia forma proverbii: *ἐπειδὴ τὸν Τ. λίθον τῆς κεφαλῆς ἀπετιναξάμεθα* originem duxit ex Pind. Isth. VIII, 20 Bergk:

ἐπειδὴ τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς
ἅτε Ταντάλου λίθον παρά τις ἔτρεψεν ἄμμι θεός.

Homeri narrationem spectat *Ταντάλου κῆπον τρυγᾷς* Suid. s. v., qui explicationem uberiorem descripsit e Phil. v. soph. I, 20, 1. Laudat adagium idem Phil. v. Apoll. IV, 25. Dio Chrys. VI, 97.

Ulixis illa perlonga atque fabulosa apud Alcinoum narratio errorum suorum, cui in libris inscribebatur *Ἀλκίνου ἀπόλογος* i. e. *ἀπόλογος ἐν Ἀλκίνου* sc. *δόμῳ*, proverbii locum tenuisse apparet e Plat. rep. X, 614 B. Arist. rhet. III, 16 Aristid. or. 24 p 636, quin etiam hominem garrulum, qui narrationes nimia loquacitate ducere solet, *Ἀλκίνου ἀπόλογον* appellatum esse testis est Pollux VI, 120 nec non CPG I, 210 interpretatio: *ἐπὶ τῶν φλυάρων καὶ μακροὺς ἀποτεινόντων λόγους* eodem spectare videtur. Ex Antimachi Thebaide petitam esse locutionem *Τυδεὺς ἐκ συφορβίου*, quae CPG I, 322 explicatur *ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων* cf. Miller p. 370 CPG II, 223 *ἐπὶ ἀπαιδεύτου ἀξίωμα ἔχοντος*, docet scholiasta ad Hom. *Δ*, 400. Cur traditus sit Tydeus subulcis CPG I, 322 narratur hunc fere in modum: Oeneus Periboeam, Hipponoi filiam, vitiaverat, quam pater iratus gravidam ad subulcos relegavit. Ibi ex ea filius natus est Tydeus. Proverbiorum, quae certa ratione ex alio poeta epico duci possunt, id unum ad hunc locum pertinet. De proverbio enim *Διομήδειος ἀνάγκη* (cf. Bauck p. 58) dissentiunt veteres. Alii Leschen poetam, qui Iliadem minorem scripsit, auctorem secuti narrant, Diomedem post raptum Palladium Ulixem socium praegredi gladio stricto coegisse, veritum, ne ille ipsum interficeret, ut solus gloriae particeps esset. Proverbium ex hac Leschis narratione profectum esse, referunt Zenob. Miller p. 355 CPG I, 59; schol. Plat. r. p. VI, 493 D Conon, narrat. 34; Eust. *K* 531 p. 822, 17 Suid. s. v. Hesychius autem praeterea narrat, Clearcho iudice proverbium spectare ad crudelissimum illum Thracum regem Diomedem, qui advenas cum filiabus suis deformibus rem habere cogebat, postea necabat. Exstat haec explicatio itidem apud Suid. Apost. Themist. or. 21, 351 B. Neque tam alienum erat, perniciosas has filias easdem facere atque feroces Diomedis equas corporibus hominum vescentes. Quid verum sit, dubites. Nam Aristoph. Eccles. vv. 1028/29

Νεαν. *τί δῆτα χρὴ δρᾶν;*
Γραῦς Α *δεῦρ' ἀκολουθεῖν ὡς ἐμέ.*
Ν. *καὶ τοῦτ' ἀνάγκη μοὔστι;*
Γρ. Α *Διομήδειά γε*

primo quidem aspectu Clearchi sententiam confirmare videntur,

quin etiam schol. Aristophanis ab hac fabula originem petit, sed quoniam explicatio a Diomede Thrace sumpta Clearcho auctori tribuatur, cum Leschis narratio tanto vetustior sit, vereor ne Clearchus ipso Aristophanis loco, vetularum cupiditatem deridentis ad explicationem a Diomedis filiabus turpibus petitam adductus sit. Ex artis monumentis vellem controversiam posse diiudicari, sed quae Jahnius in Phil. I, 46 sqq. de raptu Palladii collegit neutram explicationem adiuvant. Proverbium igitur dicitur de necessitate non evitanda; sed nescio an multum valuerit ad hanc locutionis vim efficiendam lusus verborum, qui in ea latere mihi videtur, cum Diomedis nomen compositum sit ex vocibus *Ζεύς* et *μῆδος*, unde in mentem veniat loci Homeri Ξ, 88 *Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδώς*.

Proverbia a tragoediis et comoediis profecta. Quod vero proverbia ex historia fabulosa petita poetis cycli epici aliisque priscis vatibus debeantur, deperditis illorum carminibus accurate iudicare non possumus. Sed sicut fabulas eorum plerasque postea tragici tractaverunt, ita proverbiorum nonnullorum, quorum nobis veterrimi auctores Aeschylus, Soph., Eur. sunt, originem ad eos potius redire aliquantum verisimilitudinis habet. Percrebruerunt tamen apud volgus sine dubio tragoediarum magis auctoritate et celebritate.

E Sophoclis igitur Aiacis v. 303

συντιθεὶς γέλων πολύν

natum est prov. *Αἰάντειος γέλως· ἐπὶ τῶν παραφρόνως γελώντων* cf. Erasm. p. 225., unde in universum adiectivum *Αἰάντειος* significationem mente capti cepisse videtur cf. Luc. qu. hist. conscr. 26 *ἐπέθηκε Αἰάντειόν τινα τὴν κορωνίδα* Zenob. Miller p. 355 e Carcini Aiace fluxisse locutionem et Menandrum in Perinthia altera eius mentionem fecisse narrat. cf. Graux p. 224. Cohn. in Ann. phil. 1886 p. 831. Nauck p. 368—380. Koch. I, p. 49.

Multarum tragoediarum argumentum fuit historia de Danai filiabus, quarum specimen celeberrimum servatae sunt Aeschyli Supplices. De forma proverbii inde ducti: *Αἰγύπτου γάμος* non facio cum L. Cohn[1]). In codd. volg. enim legitur *Αἰγύπτου γάμος*, quod prov. secundum CPG II, 139 et cod. Laur. LXVIII, 24 ortum est e fabella hac: Aegyptum uxorem repudiasse ob eamque causam a Danao socero interemptum esse. Sed in illa ignoti sophistae collectione cod. L [Laur. LXXX, 13][2]) lectio est *Αἰγύπτου πότμος*, quod iisdem verbis explicatur *ἐπὶ τῶν ἀλυσιτελῶς γαμούντων* addita famosa illa de Danaidum facinore narratione. Unde Cohnius volgarem proverbii formam *Αἰγύπτου γάμος* procul dubio corruptam esse ex *Αἰγύπτου πότμος* neque alium mythum de Aegypto et Danao ansam praebuisse adagioni haud satis caute

[1]) L. Cohn, Zu den Paroemiogr. Breslau. Phil. Abh. II, 2, p. 22 sq.
[2]) Jungblut, Mus. Rhen. 38, 394.

contendit. Atque narratiunculam quidem, quam invenimus in cod. Laur. LXVIII, 24 et apud Macar. interpretis autoschediasma esse facile crediderim, sed de lectione *πότμος* mihi non convenit cum v. d. Neque enim ad vocem *Αἰγύπτου γάμος* cogitandum est de ipsius Aegypti nuptiis, id quod indoctus ille interpres fecit, sed de iis, quas filiis effecit.[1]) Rectius igitur verba *ἐπὶ τῶν ἀλυσιτελῶς γαμούντων* illi indocto causam erroris fuisse putaveris, cum *γαμούντων* hoc loco dictum esse pro usitatiore medio *γαμουμένων* i. e. eorum parentum, qui virgines filiis in matrimonium dant, non intellexisset. Aor. act. *ἐγάμησα* iam ap. Menandrum vim habet dandi in matrimonium cf. Mein. CGF, 274. *πότμος* autem est vox sensu communiore, quam quae accommodata sit ad explicationem illam sine dubio genuinam, quippe diversis codd. generibus traditam, ita ut potius *πότμος* e *γάμος* corrupta esse lectio videatur.

Fabulam de scelere et poena Danaidum, ex qua originem duxit locutio proverbialis a nostratium quoque eruditioribus saepe adhibita: *Δαναΐδων πίθος* fusius narrat Zen. CPG I, 32. Sumpta est haec narratio ex Apollodori bibl. II, 1. 4 sq. eamque ab antiquis temporibus usque ad ultimam antiquitatis aetatem inter omnes notam fuisse, docent loci sescenti scriptorum veterum cf. v. Wyss p. 11.

Ἰοῦς quidem *δρόμους*, de quibus videas Aeschylum in Prometh. et locum Athen. XIV, 619 C, haud ita verisimile est proverbialiter dictos esse de magnis erroribus, sed duarum aliarum mulierum insignes calamitates e scena in volgi sermonem emanaverunt: *Ἰνοῦς ἄχη*[2]), cuius liberos Athamas maritus furore insaniae captus ingulavit, et *Νιόβης πάθη*[3]) quae filiis et filiabus omnibus ab Apolline et Diana sagittis confixis in saxum mutata esse dicitur[4]). Etiam *Οἰδίποδος ἀραί* per tragicos praecipue vim proverbialem adeptae sunt. Quae quam dirae fuerint, docent Aesch. Sept. 785, Soph. O. C. 1372 al. Ineptam aliam CPG I, 138 interpretationem suo iure iam Kochius I, 48 sq. repudiavit. Quamquam, non omnino negandum est, prov. fuisse locutionem *Λούσαιο τὸν Πελίαν*, quam tradiderunt Zen. CPG I, 110 una cum longa enarratione, maximam partem ex Apollodori bibl. I, 9, 16—27 hausta, CPG I, 271. II, 508 Plut. Cr. p. 10, tamen ex veterum, qui eius facinoris mentionem faciunt[5]), locis nihil aliud evincitur, nisi fabulam notissimam fuisse, praesertim cum saepissime Medea in scenam producta sit;[6]) sed proverbium — si fuit — libenter concesserim Crusio ad Plut. 248 e comœdia potius fluxisse. Quod autem dixit vir doctissimus sententiam prov. *Λούσαιο τὸν Πελίαν* eandem fere

---

[1]) cf. Erasmus p. 591. [2]) Apollod. I, 9. 1. schol. Arist. Nubb. 258 CPG I, 91. II, 463 Plut. Cr. 5. Cr. ad Plut. 244. [3]) Plato rp. II, 380 A Mosch. IV, 82 *Νιόβης πυκινώτερα κλαίω* cf. Tribukait p. 45, al. Apost. II, 544 cum inepta Palaephati explicatione. [4]) cf. nostratium fabellam de Frau Hitt. [5]) Arist. Equ. 1321. 1355. Plaut. Pseud. 869 cf. v. Wyss p. 14. [6]) cf. Böttiger, Vasengemälde II, 185. Müller, Orchom. 268.

esse, quae proverbii *εἴποις τὰ τρία τὰ παρὰ τῇ αὐλῇ*, quod est de libertate loquendi ante supplicium concessa, ita ut exsecrationem contineat locutio, ea quidem in verbis *Λούσαιο τὸν Πελίαν*, quae sensu carent, non invenitur, sed coniectura facile evadit, quae felicissime contigit Crus. *Λούσαιο κατὰ Πελίαν*.

Saepius et praeter „sententias", quas dicunt, tragicorum versus vel integri vel lepide immutati in omnium ore fuerunt. Tragicum a comico derisum habemus in v.

Βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέτταρα,

Zen. CPG I, 54 et Suid. s. *τρὶς ἕξ* tribuunt hunc versum Euripidi; dicitur secundum Zen. *ἐπὶ τῶν ἀδιανοήτων* i. e. de iis, quae intellegi non possunt, sed unde haec sententia evaserit, non satis perspicimus. Eust. p. 1083, 63 et Sueton. *π. παιδῶν* ap. Eust. p. 1397, 17 e Telepho esse docent, sed poetam, cum versus in ludibrium verteretur „*αἰδεσθέντα περιελεῖν ὅλον τὸ ἐπεισόδιον*", quibus assentitur Zen. Aristoxenum, si fides habenda est codicibus[1]), secutus. Contra schol. Arist. Ran. 1400 Aristarchum laudat, qui scripserit, hunc senarium Euripidis nomine circumferri solitum esse, sed falso, cum sit *ἀδέσποτος*. At ex Arist. Ran. 1400 satis apparet, Euripidis fuisse versiculum; modo unde sumptus sit dubitatur. (cf. Kockii adn. et Koch. II, p. 26.)

Proverbium *ἀντ' εὐεργεσίης Ἀγαμέμνονα δῆσαν Ἀχαιοί*[2]) versus esse fertur Maesonis comici Megarensis (Hes. s. *Μαίσων* Athen. XIV, 659 A. Festus s. v.), qua de causa *Μαισωνικὴ παροιμία* dicitur in Diog. praef. 6. Sed a Maesone certum quoddam facetiarum genus nomen accepisse facilius mihi persuaserim, quam solum hunc versum illius in proverbium venisse, id quod demonstrasse sibi videtur Schneidewinus in disputatione illa de Maesone, „qua totum illum virum facetissimum ab oblivione strenue vindicavisse" dicitur. (Gött. Gel. Anz. 1837, 847 sqq.) De Maesonis persona paucis mihi opus est, quoniam nuper Crusius Phil. Suppl. VI, 275 sqq. docte et copiose Chrysippi, quae mea quoque fuerat, sententiam defendit, Maesonis nomen ducendum esse *ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι* ut sit *Μασίων*, manducus. (cf. Wilamowitz. Herm. IX, 338.) Non igitur poetam Maesonem fuisse, sed personam comicam *μαγείρου ἀλαζόνος*. (cf. Arist. Byz. ap. Athen. 659.) Quid vero Maesoni cum Agamemnone? De origine prov. Schneidewinus paulo audaciorem sententiam mihi tulisse videtur, cum cyclici alicuius poetae amplificationem rixae illius inter Menelaum et Agamemnonem ortae (S. 131 sqq.) comico ausam dedisse putat: id quod scire non possumus. Vix necesse est de re gesta Achaeorum cogitemus, sed verisimillimum est Maesonem *ἀλαζονεύοντα* se ipsum cum Agamemnone, reliquos servos ipsum urgentes cum Achaeis comparavisse. Deinde quamquam Athenis in Mercurii simulacro inscriptum fuisse Maesonis versum testis est Harp. s.

[1]) Huiusmodi enim nomina saepissime a librariis confusa esse, norunt omnes v. d. cf. Crus. An. 79 n. 5., qui de Aristophane Byzantio cogitat.
[2]) CPG I, 34. Adhibet Liban. ep. 194.

Ἑρμαῖ, tamen quod *γράμμασιν ἀρχαίοις* expressus erat quodque sub Pisistratidis Mercurii poni solebant, ob eam rem cum Schneid. versum Maesonicum historiae Hipparchi annectere, nimis ingenio indulgentis est. Quis enim dicere potest, quibus cogitationibus fortuitis adducti homines Athenienses Mercuriis verba inscripserint?

Proverbia a fabellis popularibus profecta. Reliquarum adagionum, quae ex fabulis per ora hominum traditis fluxerunt, originem requirere res est difficillima. Certe enim et ii, qui iis utebantur, originis non semper memores erant, ut fit, et qui posterioribus temporibus earum vim et originem explanare studuerunt, sua potissimum cogitatione res depinxerunt. Quorum enarratorum levissimus fere fuisse videtur Demo. Ad vocem enim *Ἀγαμέμνονος θυσία* invenimus CPG I, 4 hanc narrationem: *ἐπὶ τῶν δυσπειθῶν καὶ σκληρῶν. Ἀγ. γὰρ θύοντος ἐν Τροίᾳ ἔφυγεν ὁ βοῦς καὶ μόλις ληφθεὶς ἤχθη*, quam interpretationem Demonis esse CPG II, 136 traditum est. Demo praeter Atthida scripsit magnum opus de proverbiis, quod Crusii Anal. 150 sententia libros XL continebat. „Sed pretium, ait, non aequabat ambitum. Saepissime noster Didymo` vapulavit; nec sine causa, siquidem non tam quid verum sit probo studio assequi conatur, quam legentium aures lepido fabularum susurro solet permulcere.“ Quam recte iudicaverit v. d. de Demonis fide atque ingenio facile intelleges collata gemina illius de prov. *οἱ Κρῆτες τὴν θυσίαν* sc. *ἐτάραξαν* Crus. An. 134/135 CPG I, 141 fabella, itaque rem a Demone narratam nullo modo proverbii esse causam iudicabimus. Magis nobis arridet alia interpretatio, quae praeter Demonis verba exstat CPG I, 181: Agamemno *γὰρ ἐβούλετο θυσιάσαι τὴν αὐτοῦ θυγατέρα* cf. Erasm. 457, a diasceuasta ut videtur interpolata, cum non accommodata sit ad Demonis explicationem *ἐπὶ τῶν δυσπειθῶν καὶ σκληρῶν* i. e. in male oboedientes et contumaces. Quid significaverit locutio *Ἀγαμέμνονος θυσία*, si re vera fuit proverbialis, nescimus; neque omnino crediderim Demoni proverbii locum eam obtinuisse.

Quod de Acesaeo, Nelei gubernatore narratur,[1]) qui cum semper lunam non apparentem exspectaret, portu non evectus sit, ita ut *Ἀκεσσαιου σελήνη* in proverbii consuetudinem veniret de cunctantibus, num recte id Crus. An. 147 tribuerit Demoni „qui de Neleo eiusque filiis narrat etiam (Ath.) M. II, 6 *εὐγενέστερος Κόδρου* et II, 23 *Μία Μύκονος*“ et ego iam pridem dubitaveram, neque Crusius in sententia sua perseveravit, cum nuper quae paroemiographi de hoc proverbio tradiderunt recte revocaverit ad Didymum Phil. Suppl. VI, 208, ad Her. p. 70. cf. Buecheler., Herondae mimiamb.[2] p. 19 n. Didymus locutionem ex Herondae mimiambo hausisse videtur, quam apud Graecos Asiam incolentes

[1]) Miller p. 353 CPG I, 189 Suid. s. *τὴν Ἀκεσ. σελήνην.* Herondae Mim. III, 60: *οὐ ταχέως τοῦτον*
ἀρεῖτ᾽ ἐπ᾽ ὤμου, τῇ Ἀκέσεω σεληναίῃ
δείξοντες;

in proverbio fuisse inde verisimillimum fit, quod quin Herondas Cous fuerit vix dubitandum est, cf. Crus. ad Her. 187. Ceterum Neleus, qui est in explicationibus, ille intellegendus esse videtur, qui colonias in Asiam deduxisse fertur.

Idem Crus. ad. Plut. 246 versiculum a Plutarcho Crus. p. 6. CPG I, 85 servatum:

ἐν παντὶ μύθῳ καὶ τὸ Δαιδάλου μύσος

collato simillimo trimetro

ἐν παντὶ μύθῳ καὶ τὸ Πέρδικος σκέλος

eiusque explicatione in lex Coisl. CPG I, 406, referendum esse ad poetam quendam Alexandrinum, qui castigaret „poetas recentiores omnes fabulas amoribus incestisque polluentes", si non necessarie demonstravit, certe probabile verisimillimumque reddidit. Macarii saltem CPG II, 164 explicationem ἐπὶ τῶν ἐν τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς καὶ τὰ οἰκεῖα διηγουμένων optimo iure eum ineptum illius commentum dixisse nemo negabit.

Miro modo explicant proverbium Δαιδάλου πτερά parœmiographi CPG I, 236, II, 23 Suid. s. v.: ἐπὶ τῶν δι' ἀπορίαν προσθήκῃ παρελκούσῃ χρωμένων. Suidae v. ἐ. τ. δ. ἀ. προσθήκης χρωμένων παρελκούσει vertit Bernhardius ad Suid. I, 1185: „de iis qui per inopiam consilii rebus utuntur asciticiis", qua voce, ni fallor, longe repetitas res ille significat. Accuratius fortasse προσθήκην παρέλκουσαν acceperis pro additamento non ad rem pertinente. Sed unde haec vis locutionis, quam ut re vera proverbium habuerit valde vereor, evaserit, de ea re altum servant silentium et difficile est iudicium deficientibus testibus. Eadem est explicatio plane alius proverbii

ἐν παντὶ μύθῳ καὶ τὸ Πέρδικος σκέλος.

Quae cum item accommodata esset ad illud ἐν π. μ. κ. τ. Δαιδάλου μύσος, errore quodam interpretationem ad τὰ Δαιδάλου μύσος pertinentem locutioni Δαιδάλου πτερά adscriptam esse conicias. Paulo facilior intellectu altera invenitur explicatio CPG I, 203 s. αἱ λαχάνων προσθῆκαι i. e. additamenta olerum, quo cum proverbio dicto de rebus, quae nullam utilitatem afferant („Dinge, die den Kohl nicht fett machen", Martin p. 12) comparatur Δαιδάλου πτερά, ita ut in mentem facile tibi veniat infortunii Icari, quem cera liquefacta alae ferre non potuerant. At multum abest, ut haec interpretatio nobis satisfaciat.

De amore non concesso scriptam videmus vocem Καύνιος ἔρως. (Hes. Suid., Steph. Byz. s. Καῦνος CPG I, 265, II, 471.) Fabulam de insano Byblidis erga Caunum fratrem amore praeter Parthen. erott. 11, Conon. narr. 2. al. uberius narrat Ovid. Metam. IX, 455—665, qui proverbium non ignorare videtur cum incipit:

Byblis in exemplo est, ut ament concessa puellae.

Cuius fabulae testis fere veterrimus secundum Crus. An. 135 Demo est. Etsi vero Hoeckio (Cret. II, 113) concedamus fabulam haud ita priscam esse, tamen ex ea adagionem originem traxisse obtinendum est; vix enim ex lege quadam Cauniorum, qua soror

fratri nubere vetita erat, vel ex sollemnibus Thargeliorum (Hoeck l. l.) caerimoniis proverbium natum esse mihi persuaserim.

Nannaci nomen duplici sententia in usum proverbii pervenit. Cum enim fingeretur Phrygum rex vetustissimus, ut narrabat Hermogenes CPG I, 164 „*ἐν τοῖς Φρυγίοις*“ eum ante Deucalionis fluctus vixisse, vocibus *τὰ ἀπὸ Ναννάκου*[1]) vel *τὰ ἐπὶ Ναννάκου* et *Ναννάκου παλαιότερος* significata sunt tempora antiquissima, de quibus nos utimur adiectivo „vorsündflutlich“.

Aliud a Nannaco ductum prov. usurpatur de lacrimosis lamentationibus, quales ille cum omnibus civibus egisse fertur, cum futuram orbis terrarum inundationem praevideret. Cuius locutionis auctor Herondas iambographus est, ad quem Zenobius CPG I, p. 164 nos relegat, in Mag. 10.

. . . *τριηκὰς ἡ πικρὴ*
τὸν μισθὸν αἰτεῖ κἢν τὰ Ναννάκου κλαύσω.

Quod apud posteriores, qui proverbii mentionem faciunt futurum verbi tempus semper invenitur (Suid. s. *τὰ Ναννάκου κλαύσομαι* Step. Byz. s. *Ἰκόνιον· τὸ ἐπὶ Ἀννάκου κλαύσειν*)· e Herondae lemmate mutilato id factum esse haud ita temere coniecerit quispiam, quamquam Crus. ad. Her. p. 56 Didymum aliud proverbium commemorasse existimat, quod Suidas servaverit. Formam nominis ab *α* incipientem Osannus (Midas p. 67 sqq. cf. Buttmann, Mythol. I, 178) veriorem esse putabat, cum satis audacter eam a voce *ἄναξ* derivaret; sed magis placet Iahnii sententia verba *Νάνναρος*, *Νάννακος*, *Ναννώ*, *νάνναρις* Hes. al. ad communem quandam Asianae linguae stirpem referentis. (Archaeol. Beitr. 1847, 376.) Praecisio litterae *N*, quae in vocabulo barbarico non ita mira est, invenitur etiam in nomine *Ἄνναρος* ap. Athen. XII, 530 D. Buecheler Her. mim. p. 15 contulit vocem *νινήατον* i. e. neniam; et nomen et proverbium apud Coos usitatum fuisse, in patria Herondae, docuit Crus. ad Her. 56 comparatis duabus inscriptionibus Cois.

Ad Phrygum res pertinent etiam, quae de Mida rege narrantur. Midae aures asininae proverbialiter dicebantur sec. schol. Arist. Plut. 287, qui quinque attulit interpretationis rationes, quarum tres non in fabulis traditis, sed in interpretantium doctrina et ratiocinatione positae sunt:

1. *ὅτι πολλοὺς ὠτακουστὰς εἶχεν,*

qua de causa emissarii regis cum auribus asini comparandi sint, hisce verbis schol. sibi explicasse videtur: *ἐπεὶ ὄνος μᾶλλον ἀκούει τῶν ἄλλων ζῴων πλὴν μυός.*

2. *ὅτι κώμην Φρυγίαν κατέσχεν, ἥτις Ὦτα ὄνου ἐλέγετο.*

Hae explicationes etiam CPG I, 281. II, 40. 531 inveniuntur.

3. *ὅτι ὦτα μεγάλα φύσει εἶχεν.*

Reliquae scholiastae interpretationes mythos spectant:

4. *ὅτι ψέξας ποτὲ τὸν Διόνυσον μετεβλήθη εἰς ὄνον.*
5. *ὅτι ὄνους τοῦ Διονύσου παριόντας ἠδίκησε· διὸ ὀργισθεὶς ὁ θεὸς ὦτα ὄνου αὐτῷ περιῆψεν.*

[1]) De accentu nominis cf. Lobeck. Path. 308.

Eius quae nobis notissima fabula ex Ovid. Met. XI, 174, cf. Persii I, 121 Hygin. f. 191: auribus asini Midam foedatum esse ab Apolline, quod Panis syringa Apollinis citharae praetulisset, notitiam non habuit Aristophanis interpres. Praeclarum habemus hoc loco exemplum rationis, quam veteres grammatici in interpretando adhibuerunt. Proverbium de Midae auribus asininis originem traxisse e fabella quadam miraculosa et lepidissima et vetustissima mihi quidem persuasum est.

Eurymnum, quem proverbiis Alexandrinorum inseruit CPG I, 332 Plut., vix in proverbii consuetudine fuisse apparet e Liban. epist. 389 fin., qui solus eius mentionem fecit, ita ut fabulam satis obscuram fuisse facile intellegas: *βούλει μαθεῖν, ἃ τοῖς φίλοις εἰκάζουσι παρέστη; Εὔρυμνόν τινα νομίζουσι ταῦτα εἰργάσθαι* . . . Cum enim Pollucem apud Castorem calumniatus esset, gravissimas eis poenas dedit.

De proverbii *Ἐνδυμίωνος ὕπνος*, quod dicitur in homines somniculosos, origine inter explanatores non constat. Zen. CPG I, 75 et Mac. II, 164 ex Apollodoro I, 7, 5 hauserunt narrationem, cum Luna amore Endymionis iuvenis formosissimi capta esset, Iovem permisisse illi, ut quid vellet, sibi eligeret: illum immortalem nec non senectutis exsortem dormire in aeternum praetulisse. Alii ignotum auctorem secuti, de Somni amore Endymionis fabulantur velut Zen. Ath. I, 20 Miller p. 351. CPG I, 238 s. *Ἐνδυμίωνος ὕπνον καθεύδεις* CPG II, 25; 221. Suid. s. *Ἐ. ὕ. κ.* Compluribus antiquorum (Theocr. III, 49. Arist. Eth. Nic. ed. Ramsauer X, 8, 7. p. 709. Liban. ep. 1482 R. Cic. de fin. V, 20, 50 id. Tusc. I, 38) scriptorum locis demonstratur Endymionis somnum proverbii loco fuisse; quamquam inde, utra verior sit proverbii origo, non certis verbis illustratur, tamen praeferendam esse fabulam de Lunae amore apparet ex Meleagro A. P. V, 165:

ὁ δ' ἐν κόλποισιν ἐκείνης
ῥιπτασθεὶς κείσθω δεύτερος Ἐνδυμίων

et eis locis quibus Latmus mons appellatur velut Herondae mim. VIII, 10 cf. Crus. ad Her. 153.

Omnium heroum summus erat Hercules; sed haud ita minores partes in Atheniensium saltem historia fabulosa agebat Theseus, ut et *ἄλλος Ἡρακλῆς* appellaretur et cum permultis heroum rebus gestis interfuisset (Plut. Thes. 29) — Meleagrum enim in venatione Calydonia, Pirithoum adversus Centauros, Herculem adversus Amazonas adiuvisse dicebatur — proverbium inde ortum *οὐκ ἄνευ γε Θησέως* Miller p. 351 CPG I, 132. Neque diversa est Suid. s. v. Eust. ad Σ 32 p. 1129, 53 explicatio *ἐπὶ τῶν σὺν ἑτέροις εὐδοκιμούντων*, sed nescio an lateat in proverbio irrisio quaedam Atheniensium iactationis, qua suum heroem omnibus omnium heroum facinoribus immiscebant, ut haec locutio proverbialis necessitate quadam coniuncta sit cum ea, qua in Corinthiis cavillari solebant *Διὸς Κόρινθος*.

Permulta exstare proverbia ad Herculem clarissimum illum fortissimumque heroum pertinentia nemo mirabitur. Sed ne a consilio meo, quod supra exposui discedam, hoc loco de iis tantum disseram, quae ex certis quibusdam fabulis originem traxisse mihi persuasi; reliqua, quae aut a corporis robore eius aut moribus petita sunt, infra tractabo.

Graecis cum proverbio Ὕλαν κραυγάζειν i. e. „clamare non audienti, frustra aliquid facere,“ utebantur, ob oculos versabatur historiola illa de Hyla a nymphis rapto frustraque ab Hercule quaesito, quam invenimus apud Arist. Plut. 1128 (cf. Bauck. p. 57 sqq. Slothouber p. 75. schol. ad Apoll. Rhod. 177. Apollod. I, 9, 19 Phot. Suid. s. v. Zen. Miller p. 350. CPG I, 167). Unde autem haec fabula orta sit, a nostro proposito alienum est. Videas Welcker. Allg. Schulzeitg. 1830. II, 2, 11 De Lino. Historiae cuidam fabulosae, quam nostrates vocant Märchen, originem debere recte credas trimetrum quoque: Ὄρτυξ ἔσωσεν Ἡρακλῆ τὸν καρτερόν; quam Eudoxus ap. Zenob. Miller 366 CPG I. 143 lepide ita narravit: Herculi Tyrio (v. Müller Dor. I. 452) a Typhone interfecto vitam ab Iolao redditam esse nidore coturnicis crematae, qua maxime ille delectabatur. Quod addit Zen.: αὕτη sc. ἡ παροιμία παρ' οὐδενὶ τῶν ἀρχαίων ἐστί pertinet ad scriptores a Didymo adhibitos, quam rem exposuit Crus. Anal. 93. Ceteri parœmiographi, id quod plerumque fit, a Zenobio pendent, nam CPG II, 471 καὶ Ἡρακλῆς παρὰ τῶν ἀναισθήτων ἰσχὺν ἐλάμβανεν proverbium Apostolianae officinae est, natum ex explicatione: ἐπὶ τῶν σωζομένων ἀφ' ὧν οὐκ ἤλπισαν. Item vereor, ne ab Apostolio CPG II, 384 inventa sit locutio εἰς τὴν Αὐγέου κόπρον ἐμπέπτωκας, quamquam cum Herculis labores (cf. Otto, Arch. f. lat. Lex. 1886 p. 221. v. Wyss p. 12), tum purgatio Augiae stabulorum in proverbii usu fuisse neque quisquam negabit et testimoniis satis constat: καθαίρειν τὴν Αὐγείου κόπρον Luc. Alex. 1. eiusd. Fugit. 23. al.

Ad instituta quaedam vitae communis pertinent duo proverbia nomine Herculis insignia. Sunt enim, qui narrent calida lavacra eam ob causam Ἡράκλεια λουτρά esse appellata, quod illi primo Minerva (Suid. s. v. et sub Ἡράκλειος ψώρα. Pisand. poeta ap. Arist. Nub. 1047. Hes. CPG I, 171 al.) vel Volcanus (Ibyc. ap. schol. Ar. l. l.) vel alius quis deorum ad recreationem corporis calidorum fontium aquas aperuissent. Sed rem felicissime illustravit Schneidewin. in libro de Ibyci Rhegini rell. p. 183, quem qui plura velit adeat: cum Hercules athletarum praeses coleretur, quos usos esse constat balneis calidis post certamina, ad fessa sudore membra reparanda, factum est, ut θερμὰ λουτρά et ipsa vel originem ab eo nacta vel ab eo primum usurpata esse putarentur.

Cognominis Μήλων (CPG I, 124 ita corrigendum pro μῆλον) vel Μήλειος Ἡρακλῆς CPG I, 434. Suid. s. Μήλιος originem invenisse sibi visi sunt Apollodorus in libro περὶ θεῶν, qui auctor est parœmiographorum et Suidae, atque Julius Pollux I, 30, 31: hi enim, cum bos effugisset, quem Herculi immolaturi essent,

malum quattuor ramis impositum ei sacrificasse alter Athenienses (accuratius Hes. s. μῆλον ἡρακλῆς Melitenses nominat cf. O. Müller, Dor. I, 455) alter Boeotios narrant. Neque dubium est, quin ab his Herculi talibus vera boum vel ovum corpora imitantibus hostiis sacrificatum sit; causam vero non eam, quam Apollodorus vel Pollux narrant, fabulam fuisse sed communem apud Graecos usum pauperum[1]) tali modo officia in deos exsolventium, quis est qui neget? Proverbialiter dictam esse vocem *Μήλειος Ἡρακλῆς* de rebus nullius pretii CPG I, 434 et Suid. s. v. auctores sunt.

Mirabilia. Ad finem capitis addere mihi liceat nonnullas res magicas, quae e volgi fabellis miraculosis in proverbia abierunt, velut apud nostrates Fortunati Wunschhütlein, Tarnkappe, sim. (cf. Leutsch CPG II praef. XIX, 1. Crus. An. 38 sq. Crus. Görl. p. 33. Fr Hebbelii trag. „Gyges und sein Ring".)

Eodem loco erat apud Graecos *Γύγου δακτύλιος* vel *σφενδόνη Γύγου*; quem anulum, si quis torquebat, conspici non poterat. Narratiunculam quomodo Gyges eum adeptus sit, tradit Plato in rp. II, 359 C, memorant alii multis locis cf. adn. Gott. ad CPG I, 232.

Inter mirabilia numeranda est etiam *Πηλέως μάχαιρα*; nam CPG I, 124 narratur; *ᾗ χρώμενος πάντα κατώρθου καὶ ἐν ταῖς μάχαις καὶ ἐν ταῖς θήραις*. Et Volcani opus et ob continentiam Peleo cultrum vel gladium datum esse alii auctores sunt. (Hes. s. v. Suid. s. *Πηλεὺς μάχαιραν* CPG I, 446 Phot. s. v. Eust. p. 1101, 63 *Πηλεὺς τὴν μάχαιραν*) Pleniorem proverbii formam refert Aristophanes grammaticus apud Hes. *μέγα φρονεῖ μᾶλλον ἢ ὁ Πηλεὺς τῇ μαχαίρᾳ*, cuius vestigia premunt Suid. s. *μέγα φρονεῖ* CPG I, 124; 276. II, 188 vel *μεῖζον φρονεῖ ἢ Πηλεὺς ἐπὶ μαχαίρᾳ* Apost. CPG II, 519 cf. Arist. Nab. 1063 et schol. Liban. ep. 393. Secundum alios ensem dono dedisse Volcanum adnotant editores Gottingenses CPG II, 181 citantque schol. ad Pind. Pyth. III, 167. Sed ibi tom. II, 1, 338 ed. Boeckh. legitur *μάχαιρα*, qua voce apud Homerum quidem culter significatur sive pugio (Lehrs. Arist.² 89), apud posteros etiam ensis Her. VII, 225. Xen. de re equ. XII, 11. Anab. I, 8, 7. Quamobrem nihil obstare mihi videtur, quominus *Πηλέως μάχαιραν* explicemus Pelei ensem.

Propinquitate quadam cum Pelei ense coniunctum est Procridis iaculum, quod nunquam frustra accidit. Quibuscunque locis traditum est proverbium CPG I, 296. Eust. Il *Λ* 320 p. 1688, 29 invenimus accusativum casum *Πρόκριδος ἄκοντα* ita ut Erasmi et Pantini CPG I, 296 n. cr. 1. mutatio *ἀκόντια* nequaquam verisimilis videatur, quamquam quod verbum ad *ἄκοντα* subaudiendum sit ignoratur.

Cum mirifico iaculo Procridis canis, cui omne animal cursu assequi fatale erat (Apollod. b. II, 4, 7) apte convenit.

[1]) cf. Suid. s. *πόπανα* et s. *βοῦς ἕβδομος* Hes. s. *βοῦς ἕβδομος* CFA III, 1666. Müller, FHG I, 362, 16. Stengel, Annal. phil. 1881, 399.

Mira narrantur[1]) de Pasetis quoque magi semiobolo, quod si cui dederat, a quo emebat aliquam rem, apud ipsum rursus inveniebatur Τὸ Πάσητος ἡμιωβόλιον facile cognoveris etiam in lepida Arabum fabella a F. R. Wüstenfeld in Benfei Orient und Occident p. 332 tractata. (cf. Crus. An. 126 adn. 4.) Sed in eo errare videtur Crus. ad Plut. 671, quod Arabes fabulam veterem Alexandrinam inter suas recepisse arbitratus est; huiusmodi enim fabulae vel diversissimis locis similes et oriri possunt et oriuntur. Quod si hoc loco disputavero de textu enarrationis a Suida traditae, ob id factum est, quod ad fabellam magicam intellegendam admodum pertinet. Legimus enim Suid. s. Πάσης ἡμιωβόλιον ἐκ μιᾶς αὐτῷ πεποιημένον, quod in μνᾶς haud ita sagaciter corrigere solent. Crusius lacunam indicavit post μιᾶς; sed quod proposuit: ἡμιωβόλιον ἐκ μιᾶς (τῶν ἐκ τῶν τάφων) αὐτῷ πεποιημένον sc. ὀβολῶν vel ea de causa reiciendum est, quod vox ὀβολός generis masculini est. Rectius fortasse lacuna explebitur ἐκ μιᾶς (τῶν δανακῶν). δανάκη enim est nummulus, qui in mortuorum oribus poni solebat secundum Hes. cf. Crus. l. l. et ibid. 243. Loco iam diu suspecto Portus mederi voluerat legendo ἐκ μαγείας. Sed cum Kuestero — ἐπέχω.

Inter miracula denique referendae sunt Ψάφωνος ὄρνιθες, quas in proverbii consuetudine fuisse contendit Apost. CPG II, 730. Narrationem sumpsit e Maxim. Tyr. diss. 35, 4, 172 R.: Psaphonem, hominem Afrum, cum deus haberi vellet, aves nonnullas „magnus deus Psapho" cantare docuisse. Cum ab his ceterae aves idem cantare didicissent, Libyes numinis iussum id esse ratos divino honore eum coluisse.

Caput II.

De proverbiis locutionibusque volgaribus a rebus gestis fatisque hominum quorundam eius aetatis petitis, quae historiae fidei propior est.

Complectar hoc capite proverbia, quae nata sunt ex rebus gestis hominum illius aetatis, quae historiae fidei propior est. Quoniam vero omnino rerum memoria composita est ex singulorum populorum historiis, hac ratione etiam proverbia ex singulorum hominum rebus gestis vel sortibus petita ita disponere aptum esse duxi, ut primum quidem de hominibus Graecis, deinde de barbaris agerem, Graecorum rursus distinguerem gentes atque civitates.

[1]) Plut. Crus. 24. Crus. Görl. 40. Suid. s. ἡμιωβόλιον s. Πάσης CPG I, 313.

Proverbia a rebus Atheniensium petita. Ab Atheniensibus initium facere et numerus et praestantia proverbiorum monet, quae ad cives illius urbis clarissimae pertinent. In proverbio *εὐγενέστερος Κόδρου* (CPG I, 84 Suid. s. v.; enarratio testimonio Photii e Demone sumpta est, Crus. An. 133 sq.), quod secundum „Diogen." CPG I, 246 explicationem dicebatur de hominibus et generis antiquitate et splendore animi excellentibus, nomen Codri ob eam causam sumptum esse Welckerus coniecit, quod sonus vocis quodammodo in memoriam reducit adiectivum *κυδρόν*. Quae coniectura quamquam certis rationibus demonstrari nequit, tamen siquis ceteros huiusmodi lusus, quibus mire delectabantur homines Graeci, contemplatus erit, magnam speciem veritatis prae se fert. *Ἀρχαιότερος Κόδρου* non recte explicavit Suetonius p. 421: *Κόδρος δὲ ἑαυτὸν ἐπιδούς. . . . ἐποίησε καλεῖσθαι τοὺς δι' ἀρχαιότητα εὐήθεις.* Nam toti genti Graeculorum quamvis corruptae mori pro patria stultitiae documentum visum esse, quis crederet? Prava proverbii explicatio inde orta esse videtur, quod *Κόδροι* etiam homines priscis moribus appellabantur, ut memoriae prodiderunt Hes. et Phot. Nab. p. 501 s. v. *Κόδρους* explicantes *τοὺς ἀρχαίους*. Vox *ἀρχαιότης* frequenter illa quidem eadem vi ac sententia dicebatur atque *εὐήθεια*, sed non semper vituperationem stultitiae continet. Codri aetas Atheniensibus summa antiquitas videbatur, *ἀρχαιότερος Κόδρου* igitur est: altfränkischer als Codrus. Idem significare videtur vox *πρεσβύτερος Κόδρου* CPG I, 294. II, 45. *ἐπὶ τῶν παλαιῶν καὶ πολυχρονίων*, Adi. *πρεσβύτατος* dici potuisse pro *ἀρχαιότατος* e Plat. Symp. 178 C: *οὕτω πολλαχόθεν ὁμολογεῖται ὁ ἔρως ἐν τοῖς πρεσβυτάτοις εἶναι* apparet.

Qua de causa *ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων* in usum proverbii venerit, quaestio est impedimentis admodum obstructa. Duos enim Artemones fuisse cognomine *ὁ περιφόρητος* appellatos memoriae traditum est. Alter Anacreontis aetate fuit, a quo propter amorem Eurypylae puellae cum aliis contumeliis laceratus tum *περιφόρητος* nominatus est. Cognomen illud accepisse dicit Chamaeleo Ponticus (eandem explicationem Plut. Per. 27 tribuit Heraclidi Pontico, qua de re v. Sintenis. ad Plut. Per. 193) apud Athenaeum XII, 533 E, quod propter mollitiem lectica portari solebat. Ab altero Periclem urbem Samiorum oppugnantem machinis quibusdam, quas invenisset, adiutum esse Ephorus (Plut. l. l. Diod. XII, 28) auctor est; cum ad eas inspiciendas, quippe qui claudus esset, circumferretur, idem cognomen ei inditum esse. Ab utroque ducunt prov. originem CPG I, 441. schol. ad Arist. Ach. 850. Ephorus apud Plut. l. l. primus est, qui revocat proverbium ad Artemonem Periclis aequalem. Quamobrem Crusii Anal. 147 sententia: narratiunculam ab Artemone, Periclis aequale repetitam, qua et temporum ratio laederetur (Crusius unum tantum Artemonem fuisse putare videtur) et simplici dicterio sententia nimis artificiosa supponeretur Demonis ingenium spirare, in dubium vocanda est;

Nam Demonem etsi quo tempore vixerit non accuratius scimus, aetate minorem fuisse Ephoro verisimillimum est. Ephorum vero iam Heraclides Ponticus apud Plut. l. l. redarguere studuit, qui minime ut Sinteni visum est, duos Artemones permiscuit. Artemonem Clazomenium Periclis aequalem hominem nequam fuisse, vix quisquam memoriae prodidit; Anacreon contra aemulo permultas maculas aspersit. Qui autem utuntur proverbio, Aristoph. Ach. 850: ὁ περιπόνηρος Ἀρτέμων et Liban. ep. 225: φυγεῖν γάρ σε ἔριν τε καὶ φιλονεικίαν καὶ ὑπεροψίαν, ὅθεν τὸν ἐν τῇ παροιμίᾳ παρελθεῖν Ἀρτέμωνα loquuntur de hominibus malis. Illum igitur veterem apud Anacreontem Artemonem eum esse apparet, cuius nomen proverbii locum obtinuit. Quid autem cum illo Periclis aequali? Res ad liquidum perduci non poterit. Claudum eum fuisse atque lectica circumferri solitum propter cognomen, quod alias explicari non potest, omnes numeros veritatis habet; sed illud cognomen a priore Artemone ad alterum delatum esse Schweighaeuserus ad Athen. l. l. facile cuipiam persuadeat. Sed qua de causa ille vetus sic denominatus sit ab Anacreonte, dubitari licebit. Etenim aut Chamaeleontis explicatio cognominis περιφόρητος ab usu lecticae sumpta vera est aut Theod. Bergkii De frg. Anacr. p. 115 interpretatio „famosus“. Quam si acceperimus, maior erit ioci petulantia in Periclis aequalem, propter ambiguitatem vocis περιφόρητος de homine nequam metaphorice, de claudo proprio sensu usurpatae.

Ἱπποδάμου νέμεσις neque prov. fuit neque recte explicatur a Mac. CPG II, 175: πρὸς τοὺς ἐπὶ τὸ χεῖρον μεταβάλλοντας; spectat enim glossa Hippodamum Milesium, de quo videas C. F. Hermann, De Hippod. Milesio disput. et Freimund. commentationes ad Arist. Equ. 327 in Phil. Blätt. II, 178 sqq.; is enim Atheniensibus Piraeum viis distinxit, cuius rei testes Arist. rep. II, 6 τὸν Πειραιᾶ κατέτεμε Phot. s. Ἱ. νέμεσις ἐν Πειραιεῖ, Hes. νέμησις nihil de sorte Hippodami tradunt, sed lectionem νέμεσις falsam esse conspicuum faciunt. Scribendum est cum Hesychio νέμησις i. e. divisio vel distinctio cf. χωρίου νέμησις Isaeus IX, 17. Plut. quaest. conv. II, 10, 26, saepius. Explicatio Macarii ipsius vel auctoris eius commentum est.

Οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ respondit superbe Tisandri filius Clistheni, qui ei propter inhonestam saltationem filiam in matrimonium dare recusavit: non igitur proverbium proprie est, sed apophthegma accuratius dicendum. Res notissima ex Her. VI, 129, saepissime eius mentio fit Luc. Herc. 8, apol. 15. κἂν συνάμα πάντες κατηγορῶσι ἱκανὸν ἂν εἴη τὸ ‚οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ‘. Athen. XIV, 628 D Hes. s. v. Zen. Miller 359. CPG I, 132 al.

Ex Arist. Ran. 689:

κεἴ τις ἥμαρτε σφαλείς τι Φρυνίχου παλαίσμασιν

natum est proverbium Φρυνίχου πάλαισμα; de duplici Phrynichi et Atheniensium et Lacedaemoniorum proditione atque summa eius calliditate doloque, quo ultionem per Alcibiadem imminentem

effugit, nota exstat narratio apud Thucydidem VIII, 50. cf. Krüger ad Dionys. Hal. histor. p. 373. Kock. ad Arist. l. l. et in praef. § 6—9.

Non comparandum est cum *Ἱπποδάμου νέμησις* similibusque locutionibus, quae glossae vel lemmata non proverbia ducenda sunt, adagium quod legimus CPG I, 433 *Μέτωνος ἐνιαυτός*. Metonis enim nobilissimi illius astrologi Atheniensis cyclus undeviginti annorum, quem constituerat, magnus annus nominatus est; unde de cunctantibus et diem proferentibus dicebatur: *ἀναβάλλεσθαι εἰς τὸν Μέτωνος ἐνιαυτόν*. Usum proverbii testatur Cic. ad Att. XII, 3, 2: „Quando iste Metonis annus veniet?" Unde sumpserit proverbii interpres in CPG enarrationem eruditionis praestantia prae ceteris insignem dubium et esse et semper mansurum valde dolendum est.

CPG I, 68 prov. *Ἐγένετο καὶ Μάνδρωνι συκίνη ναῦς* (Crus. Anal. 124) ad Atheniensium historiam referendum esse verisimile fit ex enarratoris verbis: *ναύαρχος γὰρ ὁ Μάνδρων ἐχειροτονήθη πρὸς τὰ ἐν Ἑλλησπόντῳ*. Mandro quis fuerit nescimus, nisi forte recte suspicatus est Meinekius de choliambogr. in Lachm. edit. Babrii 176 eundem eum fuisse atque archipiratam istum a Polyaeno IV, 19 et Frontino III, 3 commemoratum. Secundum Zen. in usu erat adagio de eis, qui praeter exspectationem nulloque suo merito rebus prospere gestis gloriantur. Verbo *σύκινος* rei vilitatem significari cognoscas locutionibus *συκίνη βακτηρία* Alciph. ep. I, 39. *συκίνη ἐπικουρία* Eust. Hom. ω p. 1964, 1. Arist. Lysistr. 110 schol. *σύκινος ἀνήρ* Arist. Plut. 946, Theokr. X, 43 sim.: quomodo vero inde efficiatur sensus proverbio tributus alius facilius intellexerit.

Veniamus nunc ad adagiones nonnullas, quarum explicationem D e m o n i deberi Crusius in Anal. crit. ostendit. Totum enim initium secundae collectionis in Milleri Athoo traditae a Demonis libris *περὶ παροιμιῶν* petitum esse, cuius vestigia agnoscantur et certis quibusdam formulis dicendi velut *ὥς φασιν*, explicandi ratione et argumentis historicis praecipueque ad res Atticas spectantibus. Quae proverbiorum enarrationes cum similem quendam colorem omnes prae se ferant, etsi non nominatim tribuuntur Demoni, nisi quinque, tamen omnes fere ab illo atthidographo profectas esse facile Crusius unicuique persuadebit. Ideo hanc quidem partem collectionum codicis Athoi ego quoque pro fragmento Demonianorum librorum acceperim. Horum proverbiorum, quae quidem mihi hoc loco tractanda sumpsi, primum est *τὸ Πάρνου σκαφίδιον* Miller 360, M. 2, 10, Crus. An. 135. dictum *ἐπὶ τῶν τὰ μικρὰ πολλάκις ζητούντων*. Parnus enim gubernator cum scapham amisisset, eam repetens senatus populique aures assiduis querelis obtundebat. Eadem narratio paulo brevior legitur ap. „Diog." CPG I, 309. II, 683. Suid. Ad nomen autem *Πάρνος* explicandum adhibet Crus. An. 145 aliud, quod Demonis esse videtur, adagium M II, 91; Miller p. 36. *ὀβολὸν εὗρε Παρνοίτης*.

Spectat proverbium, ut volgari appellatione utar, ad Callistratum[1]) virum haud ignobilem in Atheniensium civitate, qui iudicibus civibusque comitiantibus stipendia invenit. (cf. Boeckh. Oecon. Athen. I, 245 sqq. A. Schäfer Phil. III, 578.) At ne de huius quidem cognomine satis constat inter viros doctos. CPG I, 437 scriptum est *Παρνύτης*, quod quam recte Erasmus p. 497 mutaverit in *Παρνοίτης*, Athous codex nuper repertus ostendit. Hes. autem exhibet *Παρνόπη*, unde Meinek. Comment. IV. 700, quamvis de sensu vocis illi non liqueat, *Παρνόπης* proposuit. A voce *πάρνοψ*, quod est genus locustarum vel apium ferarum, cognomen ductum Crusio videtur impudentiam significare neque minus nomen *Πάρνος* ab eadem stirpe oriundum inter nomina, quae dicunt significantia, censet. Quamquam vero sine dubio cognomen *Παρνοίτης* ad irridendum hominem inventum est, tamen Crusii sententiam valde addubitare cogor; nam et *Παρνοπίς* coniectura tantum restitutum est nomen, neque facile quisquam nisi opinione praeiudicata ductus *Πάρνος* revocet ad vocem *πάρνοπα*. Quamvis denique e Demone in parœmiographorum collectiones venisse illud *ὀβολὸν εὗρε Παρνοίτης* — sive *Παρνοπίς* rectam nominis formam putaveris — non negemus, primarium adagionis fontem esse comicum aliquem, ideo non ignoramus cf. CPG I, 437 *ὅθεν σκωπτόντων αὐτὸν τῶν κωμικῶν εἰς παροιμίαν ἦλθε τὸ γελοῖον.*

τὸ Ἱππάρχου τειχίον (Suid. s. v. CPG II, 688. I, 374. Leake, Topogr. Ath. 448 nihil proficit ad rem.) murus circa Academiam aedificatus propter ingentes civium sumptus proverbii loco erat, sed Athenis tantum. Pleraque enim huius generis proverbia de monumentis sumpta certarum regionum esse solent. Enarratio prov. Miller. 360 Demonis est.

Quod sequitur prov. M II, 14 Miller p. 360 cf. Crus. An. 136: *οὐχ ὅτι Κόνωνα Τιρίβαζος ἥρπασεν* solo codice Athoo traditum est ibique enarratione caret cf. Miller 343. Sed rem narrat Cornelius Nepos Con. 5: Cononem post pugnam illam navalem, quam apud Cnidum fecerat, ut Ioniam Atheniensibus restitueret operam dedisse, sed a Tiribazo satrapa in vincla coniectum esse. Proverbium fuisse lemma *οὐχ ὅτι* etc., quis credat? Versus comici cuiusdam esse videtur.

Alterum quoque de Conone proverbium *πόλεμος δὲ Κόνωνι μελήσει* a comico, ut videtur, factum est propter egregiam eius virtutem bellicam ad exemplar Homeri *Z* 492

πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.

Ἡ Φανίου θύρα M II, 16 Miller 360 Crus. An. 136 sq., quae parœmia dicebatur de iis, qui frustra vigilant vel insidiantur, Demonis esse apparet ex Photii voce *ἡ Φ. θ.* Enarratio duplex est in Athoo et „Diog. Vind." CPG II, 32 de avaro quodam caeco, qui ministro ianuam aperiente pecuniam perdidit et de marito, cuius uxor adultera, cum ianua ita esset obstructa, ut sine crepitu

[1]) *Καλλικράτης Παιανιεύς* apud Aristot. Polit. Athen. 28 p. 31, 14 edd. Kaibel et Wilamowitz.

aperiri non posset, per tectum moechum accipere solebat. Dicebatur igitur de frustra caventibus. In Photii et, qui eum descripsit, Suidae lexicis male duae explicationes in unam conflatae sunt; quam utramque e Demone haustam esse, libenter Crusio concesserim. Illius autem fons voce ὀβολοστάτης pro avaro usurpata haud scio an significatus sit, quae secundum Harpocr. 134, 17 Bekk. comicorum est cf. Arist. Nub. 1439. Aliter rem explicavit Eust ω 1959, 14: qui (Phanias) falsam de se praebuerit opinionem quasi magnam divitiarum vim domi constructam et reconditam haberet; qua cum interpretatione consentit Eustath. in Opusc. 277, 51 et Mac. II, 172 CPG ἐπὶ τῶν μεγαλοφώνων. Unde apparet, opinor, de origine proverbii veteres non amplius eruditos fuisse quam nos; quamquam maximam speciem veritatis, simplicitatis, vetustatis prae se fert prior Demonis explicatio, qua pueri incuria ianuam avari illius patuisse tradidit. Exstat ceterum hoc loco rationis specimen, qua Eustathius vel auctor eius proverbia fingere solebat; ad exemplar enim adagionis de Phani ianua componi posse docet prov.: τὰ δῶρα τοῦ ἐξ Ἀλύβαντος ξένου vel τὰ τοῦ Ἀλυβαντίνου ἑταίρου ξένια de rebus, quae ut Phaniae thesaurus, commenticiae sunt. Denique utrum nominis forma Φανίας (Diog. Vind. Ath.) vel Φᾶνος (Diog. V. Suid.) recta fuerit in tanta codicum parœmiographorum vitiositate vix diiudicari poterit.

Ultimum quoque secundae collectionis cod. M proverbium ad illa excerpta Demoniana pertinere non sine causa Crus. An. 149 arbitratus est; Rohdius F. H. G. III, 642 contra Characis esse contendit: quae dissensio in opinione posita est. Adhibetur igitur proverbium Ἑρμώνειος χάρις de donis non voluntariis, cum inde natum esse dicatur, quod Hermo, Lemniorum rex, timore Persarum motus insulam Miltiadi et Atheniensibus donaverit, specie quidem eis gratificans, re vera Dareum metuens. Diod. X, 48. Hes. Suid. s. v. CPG I, 77. Imagines quoque oriundis proverbiis principio fuerunt. Dictum θᾶττον ἢ Βούτης Hes. Suid. vel Βούτην Μίκων ἔγραψεν cod. Bodl. 224 Gaisf. pertinuit ad personam in Miconis pictura[1], quae erat in Stoa (cf. adn. Gott.) Atheniensium; cum enim eius militis Butae caput tantum et oculus, reliquis corporis partibus monte tectis, in tabula apparerent de rebus celeriter leviterque perfectis dici coeptum est θᾶττον ἢ Βούτης sc. ἐγράφη, quoniam haec figura facillime et celerrime pingi potuerat. Jahnius Arch. Aufs. 19, quem sequitur Brunnius Butam Argonautam intellegendum esse coniecit neque in Stoa fuisse illam imaginem, sed in aede Castoris et Pollucis. Sed de his rebus peritiores videant.

Addamus hoc loco proverbia nonnulla similia, quae an res Atheniensium spectent forsitan quispiam dubitaverit. De prov. Γραφή τε καὶ Λευκαῖος οὐ ταὐτόν doctae Gotting. adnotationi ad

[1]) De Micone cf. Brunn, Gesch. d. gr. Künstler II, 22; 46. Michaelis, Rh. M. 16, 228 ἱερέως Βούτου.

CPG I, 392 nihil adicere possum, cum et quis fuerit Leucaeus et cur de eo potissimum versus proverbii locum obtinuerit item omnino ignoretur atque quis sit Parmeno ille in prov. *εὖ μὲν ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν* CPG I, 412. Apollon. Rhod. I, 95. Is enim aprum tam artificiose pinxisse perhibetur, ut intuentibus tantum non vocem mittere videretur; unde proverbium ortum esse. Adhibuit Plut. quaest. conv. V, 1, p. 674 Bekk. cf. de aud. poet. 18 Bekk.

Impolita deorum simulacra vetera posterioribus bruti quiddam et stolidi habere videbantur. Itaque eis ad tales homines significandos abusi sunt. Hac ratione in proverbium abisse dicitur *Ἀνδοκίδου Ἑρμῆς* (cod. Paris. suppl. Gr. 676 S apud Cohnium Breslau. phil. Abh. II, 75. cf. Harpocr. I, 34 Dind. Hes. s. v.), quae statua posita erat ad domum Andocidis, Atheniensis illius oratoris. At cogitanti mihi, qualem in iudicio celeberrimo de Mercuriis laesis Andocides se praebuerit, cum nomina sociorum deferret, ut ipse servaretur, ea potius res fons huius proverbii fuisse videtur, quamquam accurate dicere nequeo, quonam sensu ea vox adhibita sit.

Proverbia a rebus Boeotorum petita. Transeamus deinde ad ea, quae ex Boeotorum quorundam factis nata sunt, proverbia nomen proprium exhibentia. Quae tria tantum sunt (Slothouber 51), originibus parum credibilibus tradita. Suid. s. v. *Μυίας δάκρυον* narrat proverbium profectum esse a Boeotorum facinore contra sacerdotem Dodonaeam facto. Eandem rem paulo aliter tradidit Strabo IX, 616 sq., neque mulieris nomen neque proverbii locum id obtinuisse commemoravit. Ignoratur igitur, unde hauserit Suid. Alterius locutionis *Σκεδάσου κατάρα*, quam loco proverbii praebet Apostolius CPG II, 642 primus mentionem fecit Xenopho Hist. Gr. VI, 4, 7. Fusius de Scedasi filiabus a Lacedaemoniis quibusdam per vim vitiatis patrisque ob id scelus exsecrationibus in Lacedaemonios verba fecit Plut. narr. amat. III, 773 C cf. Plut. Pel. 20. de mal. Herod. 856 F. Fabulam post eventum proelii Leuctrensis fictam esse videtur collegisse Otfr. Müller ex ipsis nominibus patris, cuius nomen *Σκέδασος* est dissipator, et Lacedaemoniorum istorum: Parthemidam a *παραθεμιστεύω*, Parthenium a virginis stupro, Phrudarchidam a *φροῦδος ἡ ἀρχή* ducit Orchom. 419. Sed pro *Παραθεμίδας* legendum est *παρὰ θέμιτα* et praestabiliorum codicum auctoritate et quia alias duo semper iuvenes nominantur. Licet autem nomina ficta sint, tamen non tota prorsus fabula abicienda est, cum ab omnibus inde a Xenophonte testibus (Diod. XV, 54. Paus. IX, 13, 3) mentio fiat sepulcri puellarum a Lacedaemoniis vitiatarum et iugulatarum, ubi ante pugnam Thebani sacra fecerunt. Tertium quoque, quod ad Boeoti cuiusdam sortem attinere dicitur, proverbium *Φοίκου ἔρανος*[1]) enarratione amatoria originem duxit, quam tradidit

[1]) CPG I, 172. 340. 318. II, 50. 117. Suid. s. v. cf. Müller, Orchom. 414.

Plut. narr. am. 774 D. Usurpatum esse dicitur de eis, qui suo damno convivia apparant, cum inter epulas Phocus a filiae procis ob dilatas nuptias iratis interfectus sit. Quae tres voces neque ipsae speciem proverbialem praebent neque ab alio nisi parœmiographis adagii locum obtinuisse dicuntur.

Contra quod a rerum Corinthiarum historia sumptum esse fertur *Διὸς Κόρινθος*, testium locupletissimorum praesidio protegitur. Narrat enim schol. ad Arist. Ran. 439

ἀλλ' ἦ Διὸς Κόρινθος ἐν τοῖς στρώμασιν

cum quondam Megarenses a Corinthiis defecissent, oratorem Corinthium Megara missum iterum atque saepius exclamasse magnum eos delictum committere in Iovis filium Corinthum — eius enim in tutela erat urbs Corinthus — donec Megarenses legatum urbe expellerent vel ut alii narrant, necarent vociferantes: *παῖε, παῖε τὸν Διὸς Κόρινθον.* Quamvis hanc narrationem cum Bauckio p. 56 sqq. fictam esse putaverim, praesertim cum alius schol. Aristophanis eandem rem de Corcyraeis narret, tamen ea vis proverbii recte explicatur, quae eadem est atque locutionis: *τὸ αὐτὸ ᾄδεις ᾆσμα* vel Romanorum: eandem cantilenam canis Ter. Phorm. 495. Conferas locutionem *οὐκ ἄνευ γε Θησέως.* Eadem significatione adhibetur proverbium apud Arist. Eccles. 828 frg. 434. Platon. Euth. 292 E. Pindar. Nem. VII, 154 Bergk:

ταὐτὰ δὲ τρὶς τετράκι τ' ἀμπολεῖν
ἀπορία τελέθει τέκνοισι ἅτε μαψυλάκας Διὸς Κόρινθος

Corinthios enim auctorem gentis suae Corinthum fuisse Iovis filium gloriari nunquam desiisse, id quod praeter ipsos nemo credebat, Paus. II, 1, 1 quoque testatur.

Proverbia a rebus Graecorum, qui Asiam incolebant, petita. Ad res Samiorum pertinent proverbia a tyrannorum Polycratis et Sylosontis rebus gestis sumpta CPG I, 146. 329; proverbium esse traditur *Πολυκράτης μητέρα νέμει*; militum enim, qui bello interessent, matres civibus locupletioribus nutriendas tradidisse Polycratem (Panofka Sam. 34) Zenobio auctor est Duris, quo nullum fere scriptorem vaniorem fuisse constat (cf. Schubert, Agathocles 15). Proverbium verba *Πολ. μ. ν.* fuisse nequeunt: quid enim significasset? Maior est verisimilitudo, proverbialem fuisse Sylosontis chlamyda. Narratio notissima est Her. III, 119, quam memorat Iulian. ep. 29 et orat. III, 117 b. Sed mira videtur parœmiographorum explicatio: *ἐπὶ τῶν ἀλαζονευομένων ἐπ' ἐσθῆτι*, cum potius exspectares dictum esse de donis exiguis, quae praeter exspectationem sequitur beneficii remuneratio eximia. *ἡ Συλοσῶντες χλαμύς* inter proverbia recepta esse videtur a Demone cf. Crus. Phil. Suppl. VI (1892) 273.

Versum *ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη* ex severiore definitione nostratium proverbium appellare non possumus, quamvis volgatus fuerit. Persae ubi occupavere Samum, Sylosonti tradiderunt insulam viris desolatam Her. III, 149. Unde proverbium natum esse, ut Panofka et Dunckerus Gesch. d. Altert. VI, 530 putaverunt,

ita ego quoque crediderim. Nam quod narravit Heraclides Ponticus frg. 10, 6 Strabo XIV, 638 Eustath. ad Dionys. Perieg. 534. Zenob. Miller 360 tanta crudelitate Samios a Sylosonte vexatos esse, ut plerique insulam relinquerent atque ex ea re parœmiam ortam esse, cum particulae ἕκητι vi improbari videtur, quae volgo est non ‚per' sed ‚causa', tum ea re, quod multo acerbius versus dictus est, si ad Persarum trucidationem omnium Samiorum refertur. Discrepans ab Herodoti narratione explicatio fluxisse videtur e Demonis libris περὶ παροιμιῶν Crus. An. 140 et Phil. Suppl. VI, 273.

De rebus Samiorum originem duxisse dicitur etiam proverbium ἐπὶ τὰ Μανδροβόλου sc. χωρεῖ τὸ πρᾶγμα sive τὰ πράγματα i. e. ad peius in dies res labitur. Mandrobolam enim Samium secundum Ephorum thesauro forte quadam reperto Iunoni primo quidem anno auream, secundo argenteam, tertio aëneam dedicavisse ovem narrat parœmiographorum[1]) auctor Didymus. Testis proverbii vetustissimus videretur Aristoteles apud Aelianum, nat. anim. XII, 40: τιμῶσι . . . Σάμιοι πρόβατον . . . Σαμίοις δέ . . . τοιοῦτο [sc. ἱερόν] χρυσίον κλαπὲν πρόβατον ἀνεῦρε καὶ ἐντεῦθεν Μανδρόβουλος ὁ Σάμιος τῇ Ἥρᾳ πρόβατον ἀνάθημα ἀνῆψε et q. s., nisi schol. Luciani p. 170 ed. Fritzsche memoriae tradidisset, Platonem comicum proverbio usum esse. De forma nominis Μανδρόβουλος s. Μανδροβόλας notandum est, utramque formam probam esse, ut docuit Lobeck. ad Phryn. 652; optimi autem codices ubique tuentur Μανδροβόλου cf. Fritzsch. ad Luc. p. 170. Fritzschius recte duas tantum huius proverbii formas iustas esse censuit, Lucianeam ἐπὶ Μανδροβόλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα, et auctoris incerti: ἐπὶ τὰ Μανδροβόλου. Eandem esse utriusque proverbii formae vim et sententiam ipsa insequenti Lucianea evincitur explicatione. καθ' ἑκάστην ὡς εἰπεῖν τὴν ἡμέραν ἀποσμικρυνόμενον καὶ εἰς τοὐπίσω ἀναποδίζον. Altera, quam attulerunt Apost. CPG II, 417 et Greg. Cypr. II, p. 114, omni caret auctoritate explicatio neque digna est, quae refellatur. Quamquam igitur constat, quid significaverit proverbium, tamen non sine causa Crus. Görl. p. 45 explicationibus veterum non contentus fuit. At enim nos ansam indagandae verae proverbii originis non habemus nisi verba Aeliani, in quibus summi momenti est, quod per ovem thesaurus inventus esse dicitur. Inde, opinor, Crusius collegit, Mandrobolam pastorem fuisse, quacum sententia convenit origo nominis ducenda a voce μάνδρα i. e. cratis pastoralis. Hes. enim s. v. interpretatur: σηκοὶ βοῶν καὶ ἵππων. Sed proverbio, quod ex vetustissima volgi fabella miraculosa ortum esse non prorsus negandum est, agi de homine quodam, qui cum thesaurum effodere vellet, carbones pro thesauro invenerit, et Crusius dubitanter coniecit neque nobis persuadere possumus, quia proverbium non dicitur de hominibus deceptis, sed de rebus, quae sensim et gradatim deteriores fiunt.

[1]) CPG I, 77. II, 417. Hes. s. ἐπὶ τὰ Μ. Suid. s. v. et s. ἐπὶ τοῦ Μ. Bachmann Anecd. II, 339, 18. Panofka, res Samiorum 16.

Neque minus impedimentis obstructa est quaestio de proverbio *Βάτα Κάρας* s. *Βάστα Κάρας* (Hes.) s. *Βατακάρας* (Apost. CPG II, p. 326). Ab inscriptione enim prov. originem duxisse dicitur, quam dono, quod erat in Heraeo Samio, sic insculptam fuisse tradidit Hesychius: *Βάστα Κάρας Σάμιος Ἥρῃ τήνδε θήρην ἀνέθηκεν.* Priusquam vero originem locutionis requiramus, circumspiciamus testimonia, quibus erudiamur, qua vi proverbium adhibitum sit. Quorum testium unus tantum exstare videtur idemque levissimus Ioannes Siceliota in Walzii rhet. Gr. VI, 95: *καὶ Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς καὶ Σμυρναῖος ὁ Ἀριστείδης περὶ ἰδεῶν καὶ τέχνης γράψαντες, βάτα κάρας ἡ παροιμία φησί,* apud quem ante Ruhnkenium erat ex ms. *βούτα κάρας.* Quodsi Koenius ad Greg. Corinth. de dialecto Att. ed. Schäfer p. 125 *Βατακάρας ποιεῖσθαι* vel *γράφειν τι* idem esse iudicavit, quod Latini dicunt „crassa Minerva", haec vis proverbii mea quidem sententia minime colligenda est e Ioannis verbis, quippe qui eodem loco Dionysium et Aristidem laudibus effert ut *δημιουργοὺς λόγων πολλῶν καὶ καλῶν.* At explicatio locutionis *βάτα κάρας· ἐπὶ τῶν ἀναισθήτων* i. e. de indoctis et stolidis iam exstat CPG I, 386 C: *ἓν δὲ ἐξενεχθὲν ἐπλάνησε πολλούς. ὅθεν καί φασιν ἐπὶ τῶν ἀναισθήτων εἰρῆσθαι τὴν παροιμίαν.* Certe si re vera vis proverbii fuit *ἐπὶ τῶν ἀναισθήτων,* ea quae traditur cod. C., originatio nullo modo est vera.

Quomodo enim cogitari potest nomen hominis cuiusdam ad significandam stultitiam ideo adhiberi, quod nonnulli in legenda inscriptione errabant, haec duo nomina *Βάτα Κάρας* in unum contrahentes? Neque stultos tantum homines de legendo nomine dubitavisse, docent parœmiographi et Hesychius, cum refellere student sententiam eorum velut auctoris Apostolii, qui putabant *κατὰ συστολὴν ἀναγνωστέον εἶναι.* Alteram invenimus explicationem et in ipso cod. C. et in aliis mss.: *ἐπὶ τῶν παχέων.* Vocabulo *παχύς* etiamsi inesse possit notatio stultitiae, tamen parœmiographi, qui explicant hoc voce proverbium, eam sic adhibuisse, ut posita sit pro *πλούσιος* et nonnullorum demonstrari posse videtur additamento *καὶ δυνατῶν* (sc. *χρήμασι* cf. Thuc. I, 13. Plat. Lach. 186 C. Aesch. 1, 103; *ἀδυνάτων* apud Suid. et Apost. corrigendum est) et glossa, quae sequitur, in Hesychii lexico: *βάστακος·* (corrigendum cum M. Schmidtio in *βαστακάρας*) *τοὺς πλουσίους καὶ εὐγενεῖς.* Igitur de viris locupletibus dictum esse proverbium nobis persuasimus neque obstat huic sententiae Ioannes Siceliota, cum vertamus „locupletissime, copiose". Etiam difficilior est quaestio de origine locutionis. Nuper enim Crus. Phil. S. VI, 283 recte, ut mihi quidem visum est, docuit, in Zenobii collectionem illud dictum pervenisse ex Epicharmo, quoniam in Athoo scriptum videmus inter proverbia sine dubio ex Epicharmi comœdiis excerpta. Qua de causa forsitan sibi persuaserit quispiam, recte eos viros doctos iudicavisse, qui in Hesychii glossa hexametrum latere censerent. Cum littera *α*, in quam exit

genetivus Doricus, nunquam corripiatur, nisi insequente vocali Panofka in rebus Samiorum p. 61 legendum proposuit:

Βάστα Κάρα Σάμιος θήρην τήνδε Ἥρῃ ἔθηκεν,

sed quod parœmiographorum ei, qui duo nomina locutione illa contineri affirmant, omnes *Κάρας* pro nominativo accipi volunt. varie Boeckhius CIG II, 2247 versum tentavit, sed coniunctim scribens contra illorum sententiam:

Βαστακάρας Σάμιος Ἥρῃ θήρην ἀνέθηκεν,
„ „ τήνδ' Ἥρῃ θῆρ' ἀνέθηκεν,
„ „ Ἥρῃ τὴν θῆρ' ἀνέθηκεν.

Sed versus non restituendus est, nisi Hesychii auctor verba Epicharmi laudare voluit, id quod minime verisimile est, cum solam inscriptionem illam Samiam commemoret. Magis igitur placet existimare locutionem iam antea proverbialem usurpatam quidem esse ab Epicharmo, sed originem traxisse ex inscriptione, quae servata est ab Hesychio. At inscriptionem Graecam numeris includere, si studebis, haud ita difficile invenies hexametrum restituere, qua re ipsa assenties G. Dindorfo ad H. Stephani Thes. II, 185 A monenti inscriptionem prosa oratione compositam servandamque esse codicis lectionem. Quamquam si re vera latet hexameter, versus careat vitiis metricis minime necesse esse apparet ex nonnullis inscriptionibus metricis Graecorum cf. Röhl. Inscr. antiqu. 493

τοδε σ[η]μα μητηρ επεθηκε θανοντι
Φανο[κ]ριτη παιδι χαριζομενη,

ibidem 509 et 510:

Ιαρον ο Δεινομενεος
και τοι Συρακοσιοι τοι Δι Τυραν απο Κυμας.

Qua de causa, qui strenuam metricae rationem secuti versum sanare studuerunt, non rectam iniisse viam videntur. Nihil igitur obstat, quin accedamus ad grammaticorum veterum (CPG I, 386 Suid. Hes.) sententiam, qui *Βάτα Κάρας* duo nomina esse perhibent, ut sit Caras Batae filius, contra alios, qui coniunctim scribebant *Βατακάρας* provocantes ad ipsam inscriptionem. Haud scio an Polemo illorum auctor sit, sed vellem aliud exemplum nominis patris ante filii nomen positi invenissem. Unus Hesychius praebet lectionem *Βάστα Κάρας*, quae ansam dedit restituendi hexametri, ceteri ad unum omnes exhibent *Βάτα Κάρας*; utra lectio praeferenda sit, dubium est. Batae enim nomen alias non invenitur, cum *Βάσιας* cognomen fuerit Ionis alius, Democriti Chii, cf. Eupolidis frg. Meineke FCG II, 449 ex Hes., Lucian. pseudol. 3. E sententia deinde proverbii probabiliter colligi posse videtur, Carae donum opulentissimam fuisse: *θήρη* cum non solum sit venatio, sed inde ab Homero ι 158 usurpetur pro praeda venatica, suo iure coniecerit quispiam, Caram illum, hominem fortasse venandi cupidum, deae Samiorum gratiam rettulisse, quod venatio bene successisset. Ceterum omnino ignoramus, quis fuerit Caras ille; quandoquidem vero tota hac quaestione nitimur opinionibus.

silentio illud non praeteribo, fieri potuisse ut ipsa vitiositas versiculi causa celebritatis esset atque inde oriretur explicatio *ἐπὶ τῶν ἀναισθήτων*, quod Caras, Batae filius ditissimus sed idem indoctus, illa inscriptione civibus irridendi sui facultatem dederat. Mirus denique cuipam videatur in inscriptione, quae ceteris verbis dialecti Ionicae est, genetivus Doricus, sed idem invenitur in elegia Simonidis apud Herod. Tamen si speciem et quasi colorem nominum contemplatus eris, de gente barbarica Caram illum ortum esse cogitare potes, quamvis Samius postea factus sit. Sed haec hactenus. —

De Coo Crisami narratio tradita est haec (CPG I, 102. Hes. Phot. Suid. s. v. Crus. ad Her. 36 et Görl. 44): illi cum anguillam, quae pulcherrimam ovem ei rapuerat, occidisset, anguillam in somnis apparuisse seque sepeliri iussisse; quod cum ille neglexisset, cum tota eum gente interiisse. Quid vero si proverbii locum obtinuit, Crisamis nomen significaverit, omnino nobis ignotum est, itemque res se habet de Mandra CPG I, 329: *ταχύτερον ὁ Μάνδρης κοιτίνας ἀπεπέρασε*: neque ita magis de prov. *Πιτάνη εἰμί* eruditi sumus. Quamquam enim eius sortis testes affert Zenob. quique eius verba descripserunt Phot. et Suid., Alcaeum poetam et Hellanicum historicum atque de eis proverbium dici solitum esse tradidit, qui in extremas calamitates redacti denuo in priorem statum restituantur, tamen tantum abest, ut quae fuerit Pitana constet, ut alii de Pitana, Eurotae filia, cogitaverint, cuius sors proverbii causam fieri vix poterat, alii de urbe quadam Aeolidis (Steph. Byz. s. *Πιτάνη* et interpr.), qua ab explicatione tota proverbii species abhorret. Mulieris patriam fuisse vel Lesbum insulam cum quod Alcaeus eius mentionem fecit, tum quod Hellanico auctore Erythraei eam a servitute vindicavisse dicuntur, verisimile est.

Τὴν ἐπὶ Λύσιδος πολιτείαν CPG II, 217 proverbialiter inde dictum esse narratum est, quod Phaselitae omnibus, qui vellent, civitatem unius minae pretio dedissent. Narrationem ex Aristotelis politiis fluxisse verisimillime coniecit Leutschius, sed si illum et Crus. ad Her. 39 secuti *Λύσιδος* in *Φασήλιδος* mutare volumus, caveamus in tanta subsidiorum paucitate, ne emendando rem etiam magis perdamus. Nescimus enim an Lysis quidam auctor plebisciti illius fuerit; certe autem Phaselitarum civitas famosissima fuit ob civium improbitatem.

Proverbia a rebus Graecorum, qui Siciliam et Italiam incolebant, petita. Convertamus nos ad eos Graecorum, qui Siciliam et Italiam incolebant. De Dionysio maiore, Syracusanorum tyranno CPG II, 463 proprio Marte Apostolius fecit proverbium *ἱματισμὸς Διονυσίου* re e Plutarchi apophth. Lac. s. *Ἀρχιδάμου τοῦ Ζευξιδάμου* sumpta, ubi narratum invenimus Archidamum pretiosas vestes, quas Dionysius filiabus ipsius miserat, non accepisse: quod vereri se diceret, ne his indutae ipsae deformes viderentur. Cuius tyranni filium Dionysium alterum Graecis

exemplo inconstantiae sortis humanae fuisse et Quint. VIII, 6, 52 docet his verbis: „Dionysium Corinthi esse, quo Graeci omnes utuntur“ et a plurimis (Cic. ad Att. IX, 9, 1. Aristid. XII, 155. Dio Chrys. 37, 460, al.) adhibitum dictum illud *Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ*. Nonnulli etiam (Lucian. Gall. 23) tyrannum regno expulsum Corinthi ludo litterario praefuisse narraverunt.

Proverbium *Ἁρπαγὰ τὰ Κιννάρου* CPG I, 11 auctore Timaeo profectum est a Selinusio quodam lenone, qui dives redditus omnia sua moriens populo diripienda dedit. Forsitan haec narratio quodammodo cohaereat cum ludicro Siculorum sollemni, quo iresionae in pompa circumductae, ut videtur, missilium instar popello ad diripiendum proponebantur, id quod coniecit Lobeck. Aglaoph. II, 1031 n., sed parum liquida res est. De Selinuntii nomine non diiudicatum est. Nam cod. M. Ath. et S. (Scorialensis) Graux p. 230 exhibent *ἁρπαγὰ τὰ Κοννίδα*, cui nominis formae favet Nauck. in comparationem vocata Hes. lectione *ἁρπαγὴ τὰ κόρνα*. Connidas appellatur etiam Thesei magister apud Plut. Thes. 4 cf. Lobeck. Agl. II, 1061; Cinnari nomen nullo alio veterum loco invenitur. Nuper locutionem admodum illustravit Crus. in Phil. S. VI, 284 sqq., cum *λῆμμα· ἁρπαγὰ Κοτυττίοις* ad Epicharmum pertinere verisimillimum fecit et cum nostro coniungere conatus est. At de ea re haec opinio nihil docet, utrum *Κοννίδας* s. *Κίνναρος* persona ab Epicharmo vel popelli dicacitate orta sit, an nomen et facinus eius historiae fide comprobari possit.

A Sybaritarum rebus gestis natum esse dicitur proverbium *Ἄμυρις μαίνεται*, quod usurpatur de eis, qui cum insanire videantur, sapientissime agunt. Amyrim quendam *σοφόν* commemorat Herod. VI, 127: *Σιρίτης Δάμασος Ἀμύριος τοῦ σοφοῦ λεγομένου παῖς*. Athen. XII, 520 A unum eum fuisse e legatis a Sybaritis Delphos missis tradidit, qui hoc dei responsum rettulissent: tum Sybaritas internecione perituros esse, cum hominem magis quam deum venerati essent, quod oraculum commemorant etiam Steph. B. s. *Σύβαρις* Eust. ad Dionys. perieg. p. 374. Illum Amyrim cum servum in delubro quidem castigari, ad heri *πατρῷον* autem delapso ab illo parci vidisset, oraculum expletum esse intellegentem bonis venditis in Peloponnesum emigrasse: civibus autem insanire visus est. Cuius rei auctores nobis vetustissimi sunt Pausanias in lexico rhetorico, ex quo pendet Eustathii ad B p. 298, 2 adnotatio et „Diog.“ CPG I, 218, qui haud scio an e Pausania interpolatus sit. (De Ps-Diogeniano e lexico quodam interpolato cf. Crus. an. p. 25. idem Verh. d. Dessauer Phil. Vers. 1884, p. 225. Brachmann Ann. Suppl. XIV, 415.) Si non Pausanias certe iam Eustathius l. l. in parœmiographis dubitationem invenit de nominis initio. Apud nonnullos enim exstat *Θάμυρις μαίνεται*, quod explicat Hes (et Suid.) *παροιμία ἐπὶ τῶν κατὰ σύνεσιν παράλογόν τι πραττόντων* CPG II, 71. 117. 453. Miller 385. Eadem explicatione utuntur, qua ‚Diog.‘ ad verba *Ἄμυρις μαίνεται*, ‚Diog.‘ ipse I, 254 s. *Θάμυρις* relegat nos ad priorem s. v. *Ἄμυρις*

enarrationem. Sequitur ut parœmiographis nominibus Θάμυρις atque Ἄμυρις idem homo significari visus sit. Nam id, quod legimus apud Zen. CPG I, 91 de musico illo vetustissimo Thamyride ex Apollod. I, 3, 3 interpolatum esse, quia narratio discrepat ab explicatione cum Hesychii consentiente, facile colligi potest.

Inventor generis cuiusdam crepitaculorum, quae Ἀρχύτου πλαταγή in proverbium abiit de hominibus garrulis usurpatum, vix idem fuisse videtur, id quod Suidae placuit, atque Tarentinus ille celeberrimus Pythagoreus. „Diog." CPG I, 213 enim τέκτονα eum appellat. Quamquam fieri potuit, ut Diog., cuius fons servatus est Aristot. pol. VIII, 6, 1 hoc sibi fingeret, cum Aristotelis loco de persona hominis nihil traditum sit.

Proverbia e reliquorum Graecorum rebus gestis nata. Quae aut e reliquorum quorundam Graecorum rebus fluxerunt proverbia aut ad quam gentem pertineant, non perspiciuntur, ex parte obscuriora sunt vel idonea enarratione carent. Huiusmodi est *Κωδάλου χοῖνιξ*, quod explicant *ἐπὶ τῶν μεγάλοις* s. *μείζοσι μέτροις κεχρημένων* (Hes. s. v. Suid. s. *Κοδάλου*. CPG I, 264. Apost. II, 725 *Κνωδάλου*. De voce *κωδαλοῦχος* forte e proverbio depravata v. Suid. interpr.). Vix enim Codalus tibicen ille fuit, cuius Hipponactem ut hominis servilis ingenii mentionem fecisse dicit Athen. XIV, 624 B. Etiam ignotior est femina illa in proverbio, quod solo codice Coisl. CPG I, 416 traditum est *ἡ Θρᾶττα ἐπὶ τῷ ταρίχει*, de quo videas, quod supra scripsimus. Porro praeter parœmiographos nemo commemorat proverbium *ἄφωνος Ἱππαρχίων* (Plut. Crus. 13 CPG I, 41. Suid. s. v.) i. e. mutus ut Hipparchio. Duos narrant fuisse citharoedos celebres, Hipparchionem et Rufinum; quorum Hipparchionem, cum certamen quinquennale ageretur Heliopoli, mutum stetisse. Crus. ad Plut. 251, Phil. S. VI, 304 Ἰουλιοπόλει scribendum esse putabat, eo potissimum nixus, quod oppidum illud prope ab Alexandria abesse testatur Plin. VI, 23, 102. Plutarchum vero in adagiis Alexandrinas praecipue res respexisse. Admodum incerta res est. Eidem Plutarcho Crus. 15 vel potius Seleuco auctori eius debetur proverbium *οὐδὲ τὸ Δίωνος γρύ. Οὐδὲ γρύ* (Crus. ad Plut. 253. CPG I, 142 Suid. s. *γρύ* et s. *τὸ Δίωνος*) idem est atque Romanorum ne flocci quidem sc. facio, id quod Dio Alexandrinus, philosophus ille Academicus, (Stob. floril. 19, 17. Walz. ad Arsenium p. 168) iuveni conviciis eum consectanti respondisse dicitur.

Epimenidis vatis celeberrimi, qui Solonis aequalis fuisse dicitur, tot fabulis vita exornata est, ut vix eum inter homines exstitisse credas. Nam praeter alia mirabilia, de quibus conferas Suidam, et vitae spatium fide longius ei tribuerunt veteres: centum enim et quinquaginta vel plures annos eum vixisse memoriae prodiderunt et per sex septemve annos somnum continuasse dicitur. (cf. Diog. L. I, 109—115, CPG II, 415.) Quin etiam L (sexaginta Suid. s. *Ἐπιμενίδης*) annos eum dormitasse auctor est CPG II, 25; sed numerus fortasse errori debetur. Nam in explicatione proverbii

Ἐπιμενίδου ὕπνον quae est παρόσον αὐτὸς πεντήκοντα ἔτη ἐκάθευδεν ἢ ἑπτά haud scio an nonnulla verba exciderint, cum scriptum sit in cod. M II, 72. Miller 365 ἐβίου δὲ οὗτος, ὥς φησι Θεόπομπος ρν' ἔτη ζ' τὰ δὲ ἑπτὰ ἐκαθεύδησαν ὥς φασιν. Similiter CPG II, 415 ἔζησεν ἑκατὸν πεντήκοντα ἔτη τὰ δὲ ἓξ ἐκάθευδε. Epimenidis somnum re vera proverbii locum obtinuisse testatur Lucian. Tim. 6 ὑπὲρ τὸν Ἐπιμενίδην κεκοίμησαι. Nostri: Du bist ein Siebenschläfer.

Magna afficimur admiratione altera de Epimenide narratione δέρμα eius ex oraculo apud Lacedaemonios servatum esse (Miller 365) et prov. τὸ Ἐπιμενίδειον δέρμα usurpatum esse ἐπὶ τῶν ἀποθέτων i. e. de rebus reconditis. Nitzschius quidem de hist. Hom. melet. I, 161 nisus Suidae verbis, qui dicit, cutem vatis post mortem eius inventam esse litteris notatam, cutes illas Epimenidis et Pherecydis Syrii — nam de hoc quoque exstat similis narratio apud Plut. Pel. 21 — non excoriatorum vatum exuvias sed διφθέρας esse intellegendas censuit. Nam „quae tandem, ait, aut Spartanos libido aut Pythiam ipsam saevitia invaserat, ut viris fatidicis cutes detraherent detractasque servarent?“ Sed quamvis mira res nobis videatur, tamen sine dubio de cutibus detractis cogitandum esse docent Sosibius Lacedaemonius apud Diog. Laert. I, 115, qui corpus Epimenidis Lacedaemonios oraculo admonitos apud se servasse narrat et Plut. l. s. s. προφέροντες . . . Φερεκύδην τὸν σοφὸν ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἀναιρεθέντα καὶ τὴν δορὰν αὐτοῦ κατά τι λόγιον ὑπὸ τῶν βασιλέων φρουρουμένην.

Proverbia a barbarorum hominum rebus gestis ducta. Rerum a barbaris gestarum Graecis paucae adeo in animo haerebant, ut in proverbii usum eas verterent. Quid significaverit de Zopyro prov. ex Cratini Pylaea servatum Ζωπύρου τάλαντα (Hes. Phot. Suid. s. v. CPG I, 86. II, 170. 437) haud ita facile est intellectu. Etenim Ζωπύρου τάλαντα aut ea sunt, quae aliquis indigna passus nanciscatur, quae est Mac. CPG II, 170 sententia explicantis: ἐπὶ τῶν φορτικά τινα διὰ πλοῦτον ὑπομεινάντων cf. Schneidew. praef. ad CPG XXXV. Plut. Crus. 16. Aut multa sunt i. e. magnas divitias significant. Prior originatio cui assentitur Papius in Onom. historiae fide non nititur, cum non ob pecunias sed patriae amore inflammatus Zopyrus se mutilasse dicatur; altera prov. explicatio eo veri fit similior, quod Zopyrum maximis praemiis donatum esse Herodotus III, 160 auctor est. Etiam Bernhardius ad Suid. s. v. Ζωπύρου τάλαντα pro thesauro numeris et ponderibus affluentissimo accepit.

Duorum de exterarum gentium hominibus proverbiorum auctorem esse Seleucum in libro de proverbiis apud Alexandrinos usitatis verisimile est: Ἄννας κοίβαρος CPG I, 383 Plut. Crus. 14 vel Ἄννος κοίβαρον sc. ἐπενόησε (schol. Arist. Ach. 86. Suid. s. v. Graux p. 229) dicebatur de eis, qui novi aliquid invenerant, simili ni fallor sententia atque qua nostri Columbi ovum usurpant. Annam nomen Aegyptium esse, id quod de Anno iam schol.

Aristoph. contendit, cum antea ex sacris Hebraeorum libris id fluxisse putasset, Crusius sibi persuasit. Idem v. doctissimus aliud Plut. Crus. 20 CPG I, 388 adagium *Βουμύκου νῆες* (Crus. ad Plut. 662) felicissime emendavit pro corrupta *Βουμύκου* vel *Βουνέμου* lectione restituens nomen *Βουμίλκου* Carthaginiensis, ita ut fidei Punicae novum exemplum habeamus; dicunt enim illum fraude Cyrenaeorum naves repetivisse.

Proverbia ad litterarum historiam pertinentia. Separatim denique de proverbiis agere aptum erit, quae emanaverunt e narrationibus fabulisque ad Graecarum litterarum historiam pertinentibus. Quorum nonnulla comicorum iocis debentur itaque nostra definitione inter verba e scriptis veterum allata numeranda sunt. Comici igitur sine dubio est versus:

Λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται

Cic. ad Att. XIII, 21, 4 Zen. CPC I, 16. Miller 350. Suid. Qui Hermodorus Platonis discipulus libris illius in Sicilia mercaturam fecit. Philemonis (CPG I, 160. II, 638 cf. Koepkium, Ephem. phil. 1840 p. 477 sq. Usurpat Liban. ep. 45 et 943, Miller 366) videtur senarius

σαυτὴν ἐπαινεῖς ὥσπερ Ἀστυδάμας, γύναι,

qui apud Apost. mutatus est hoc modo

σαυτὸν ἐπαινεῖς ὥσπερ Ἀστυδάμας ποτέ.

Dictus est in poetam tragicum Astydamanta, quod sibi ipse epigramma laudis plenum fecerat. Neque facile quisquam negabit: *Ἄλλα μὲν Λεύκωνος ὄνος φέρει, ἄλλα δὲ Λεύκων* (Miller 379. CPG I, 198. II, 275. 273 corrupte *υἱός*. Zen. I, 26 *ἄλλα μὲν Λεύκων λέγει, ἄλλα δὲ Λεύκωνος ὄνος φέρει* cf. Boeckh. Oec. Ath.[3] 394. Mein. Com. I, 217) speciem versus praebere, quem Bernh. ad Suid. s. v. *Ἄλλα μέν* sic restituere conatus est. *Ἄλλα μὲν [οὖν] Λεύκωνος ὄνος φέρει, ἄλλα δὲ Λεύκων.*

Utrum vero hic versus comico alicui tribuendus sit an alii poetae, dubitari potest. Scripserat Leuco comoediam *Ὄνος ἀσκοφόρος*, in qua rusticulus quidam, cui inepte enarratores Leuconis ipsius nomen indiderunt, fictus erat fraude fallens portitores de mercibus, quae asino portabantur; sed asello collapso patefacta est fraus. Inde versus vi proverbiali adhibitus est de eis, qui alia loquuntur alia agunt.

Myllus, qui poeta comicus idemque histrio appellatur (Eust. ad *υ* 106), ante tempora bellorum cum Medis gestorum floruisse dicitur Suid. s. *Ἐπίχαρμος*. Ad eum referunt paroemiographi (CPG I, 121; I, 275; II, 538) dictum Cratini in Cleobulinis *Μύλλος πάντα ἀκούει,* quod de iis usurpatum esse tradunt, qui nihil se audire simulent. Welckerus contra in Zimmermanni Anall. Scholast. 1830, II, n. 53 p. 428 ipse quoque de Myllo comico cogitans nomen eius positum esse pro toto comoediae genere arbitratus est; omnia enim a comicis comperiri et traduci. Sed lexicographos Phot. p. 432 Nab., Suid. s. *Μύλλος π. ἀ.* in explicando proverbio Mylli comici mentionem non fecisse mirum

videatur; quin Hesych s. *μύλλον* et Zenob. CPG I, 121 aperte etiam secernunt poetam a proverbii persona verbis his: *καὶ παροιμία ἐπὶ τῶν ἀκουόντων καὶ κωφότητα προσποιουμένων· ἔστι δὲ καὶ κωμῳδῶν ποιητὴς οὕτω καλούμενος.* Meinekio Com. I, 27 non sine magna specie veritatis Photii verba s. *Αὔλλος· ποιητὴς ἐπὶ μωρίᾳ κωμῳδούμενος* pertinere videbantur ad comicum Myllum, qui dicitur. Favent huic opinioni Arcadius s. *Μύλλος· ποιητής* e. q. sq. apud Theognost. in Cram. Anecd. Oxon. II, 61 et cod. Hes. s. *Αὔλιος ἤμυλλος* i. e *Αὔλλος ἢ Μύλλος.* Myllum autem non propter stultitiam ab aliis poetis derisum esse, sed stultitiam simulantis partes in suis ipsum fabulis egisse iam Meinekius putaverat cf. Quaest. scen. I, 8: „quod histrio dicitur, quem ceteri comœdiarum poetam dicunt, nemini fucum faciet." Sed nos poetam illum fuisse non credemus, si originationem nominis consideraverimus, quae ducenda est a voce *μυλλός* i. e sannio, Eustath. 906, 54. *Μύλλος μὲν κύριον, μυλλὸς δὲ ὁ διεστραμμένος τὴν ὄψιν.* Prov. igitur non de certo quodam homine est, sed de persona comœdiae veteris, quacum comparandus est Sannio vel Maccus in Romanorum fabulis Atellanis et mimis, neque magis poeta unquam fuit Myllus quam Maeso ille, a quo originem accepit *Μαισωνικὴ παροιμία.* V. Philol. S. VI, 278.

Euripides quantopere a comicis aequalibus vexatus quantumque fidei narrationibus de vita et morte eius plerumque ex hoc fonte haustis habendum sit, satis constat inter homines doctos (cf. Schneider ad Aristot. pol. V, 8, 13). Suid. s. *Προμέρου κύνες* Plut. Crus. 14, CPG I, 295. II, 206 narrat Promerum, regis Archelai servum odio Euripidis inflammatum canes feros in eum immisisse, qui poetam dilacerarent. Minime in proverbio fuisse *Προμέρου κύνες* rectissime monuit Crus. ad Plut. 252 sed lemma tantum putandum esse, neque de ea re dubitationem movere potest explicatio Macarii *ἐπὶ τῶν σφόδρα ἀγρίων* quippe ab ipso inventa. Haud aliter res se habet in voce *αἱ Ἰβύκου γέρανοι* CPG I, 13, cuius originem explanare non operae pretium est, postquam Schillerus noster divino illo carmine de Ibyci Rhegini morte homicidarumque ultione effecit, ut illius memoria praesentior nostrae aetatis hominibus sit quam simillima nostratium de Meinradi corvis fabula. (Schneidewin. Ibyci rell. 25. Meinek. Euph. p. 113. Welcker M. Rh. I, 401 sq. II, 218. Lehrs., Pop. Aufs.[2] 386. Duncker, Hist. antiqu. I, 531.) Causa et huius fabulae et illius de Aesopi morte[1]) et gravissimis Delphorum, qui per fraudem eum necaverunt, poenis Graecorum fuit opinio, poetas prae ceteris mortalibus esse in deorum amicitia et tutela; ita *θεοφιλῆ* eum appellat Zen. l. s. s. *Αἰσώπειον αἷμα* igitur secundum Plut. Crus. 18. CPG I, 18 *ἐπὶ τῶν δυσαπονίπτοις ὀνείδεσι καὶ κακοῖς συνεχομένων* (CPG I, 187 Arist. Vesp. 1446, ubi videas schol., Plut. de sera num. vind. 12, 557 A. Grauert. De Aesopo 57 sq.).

[1]) Herod. II, 134.

De origine atque fide narrationum, quae de Aesopo vulgatae sunt, ingeniose disputavit Welckerus in opusc. II, 228 sqq., praecipue p. 241. Ibidem p. 244 invenimus explicationem glossae *Αἰσώπου γελοῖα* ex CPG I, 231 (Hes. Arist. Vesp. 566, 1259 schol.). Sic enim appellabant fabulas ab oratoribus exempli causa fictas.

Prov. *εἰς τὴν Ἡροδότου σκιάν* CPG I, 400 gemellum est illius *εἰς τὴν Ἀκεσαίου σελήνην*. Herodotus enim Olympiae historias recitaturus in dies rem distulisse dicitur, umbram se exspectare simulans in loco soli perobnoxio; sed priusquam ad recitationem perveniret, sollemnem ludorum coetum dissolutum esse. Num Herodotus aliquando Olympiae recitaverit valde dubitatur a viris doctis. Quam nos adscripsimus, explicatione proverbii Coisliniana refutari potius quam confirmari alias de eadem re narrationes libenter concesserim Schneidewino contra Krügeri sententiam, qui praeter illam nimis dilatam re vera recitationem ab illo factam esse sine ulla iusta causa opinatur (K. W. Krüger, Epikr. Nachtr. zu den Unters. üb. d. Leb. d. Thuk. p. 19).

E Stesichori Himeraei celeberrima ad Helenam palinodia (Plato Phaedr. 243 A. Christ, Griech. L G. 120) natum est proverbium de eis, qui dicta sua retractando irrita esse iubent: *Στησίχορος παλινῳδίαν ᾄδει*, quod alia ab aliis forma saepissime usurpatum est. Alterius proverbii a Stesichori carminibus sumpti nuper demum veram sententiam enucleavit Crusius. (De Stesichoro Him. in comm. Ribb. 1—6.) Cum enim antea omnes viri docti Lennepi ad Phal. epist. 96 (54), p. 1777 coniecturam secuti Stesichorum invenisse choricorum carminum divisionem tripertitam, qua fieret stropha, antistropha, epodos, sibi persuasissent et proverbium (Zen. Ath. M I, 23 *τρία τῶν*. Diog. CPG I, 288): *οὐδὲ τὰ τρία Στησιχόρου γιγνώσκεις* ducti Photii II, 223 Nab. et Suid. explicatione (Hes. p. 173 Schmidt. *τρία Στησιχόρου*. Suid. s. *τρ. Στ.* a lexicographo perturbata res est) ab hac inventione originem traxisse existimarent, Crus. vir de verbis restituendis et de explicandis paroemiarum sententiis omnium meritissimus feliciter perspecta praestantia lectionis codicis M. Miller 351 et Bodl. 732 p. 88 ed. Gaisf. CPG I, 288 adn. crit.:

οὐδὲ τρία τῶν Στησιχόρου γιγνώσκεις

summa simplicitate et perspicuitate proverbium explicavit ne tres quidem versus vel ne tria quidem carmina Stesichori nosti i. e. plane rudis es. Nihil igitur de partitione choricorum carminum a Stesichoro inventa habemus.

Quod Crusius versum comœdiae in hoc proverbio latere suspicatus est, opinione quidem nititur, sed speciosa, praesertim si contuleris Aristoph. Av. versum

οὐδ' Αἴσωπον πεπάτηκας

i. e. ne Aesopum quidem trivisti cf. Erasmus p. 471. Simillimum illius de Stesichoro proverbium est aliunde non notum CPG I, 443 *οὐδὲ τῶν τὰ Πυθαγόρου μυθολογούντων ἤκουσας· ἐπὶ των πάσης ἀλλοτρίων παιδείας*, quod pervolgatum fuisse haud facile quisquam

sibi persuadebit. Unde originem duxerit, memoriae non proditum est.

Τὸ οὐ Φιλοξένου usurpatum esse de eis, qui saepe vel vehementer aliquid denegant, dicunt ‚Diog.' CPG I, 316, cuius enarratio perturbata esse videtur, CPG I, 460. Suid. s. *Φιλοξένου γραμμάτιον* CPG II, 687. Philoxenus cum tragœdiam Dionysii tyranni non laudavisset, in lapicidinas coniectus est, unde effugit et aliquot tempus Tarenti fuit. Regi per litteras petenti, ut Syracusas rediret, morem non gessit, sed eo modo respondit, ut multis epistulae locis O litteram scriberet, quae pro *οὐ* posita „non" significaret. Rem pertinere ad Dionysium maiorem iam probavit Perizonius ad Ael. var. hist. X. 9 cod. M. Miller 365 et Bodl. CPG I, 460 habent formam proverbii aliam: *Φιλοξένου λόγον τέτευχεν,* eandem autem explicationem. Quae narratiuncula Crusio nescio quid Demoniani habere visa est; sed certis indiciis eam carere ipse confitetur.

Haec habui, quae dicerem de proverbiis eis, quae a rebus gestis hominum quorundam nata sunt.

Pars II.

Conspectus proverbiorum ab hominum quorundam virtutibus vitiisque propriis petitorum.

Caput I,

continens proverbia ad habitum corporis, fortunae conditionem, sim. referenda.

Proverbia a corporis virtutibus sumpta. Initium faciamus ab iis, qui propter corporis virtutes proverbio celebrati sunt. Pulchritudinis palmam tulerunt:

Nireus, qui gloriam debet Homero Il. II,6 73:

Νιρεὺς ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν
τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ᾽ ἀμύμονα Πηλείωνα.

Luc. diall. mort. 9, 4. *Νιρέως καλλιων* cf. Luc. Tim. 23. Const. Man. 8, 10. 9, 56 al.

Phaon Mytilenensis, qui mortalium omnium pulcherrimus dicitur. Nomen eius secundum Welcker. Op. V, 235 extr. significat: pulchritudine nitens, Wunderschön. Phot. Suid. s. v. Luc.

diall. mortt. 12, 1. CPG I. 325 s. *μιχθοφορῶν* (de contextu huius loci sanando desperavi), II, 707 Apostolius, cum more suo in proverbiorum numerum reciperet verba *Φάων ὑπάρχεις τῷ κάλλει καὶ τὸν τρόπον,* haud scio an comici cuiusdam versum nobis servaverit. Liban. ep. 260 fin.: *Φάων τις ἕτερος.* Plaut. mil. glor. 1246. De Sapphus erga eum amore, quae comici iocantes fabulabantur, disseruerunt Welcker l. l. et op. II, 110. Schoenius de vita S. in Symbolis phil. Bonn. II, 760 Lehrsius, Pop. Aufs.[2] 399.

Rhodopis meretrix. Proverbium in Athoo cod. II, 9, apud Phot. Suid. s. *ἅπανθ'* et *πάνθ'* CPG I, 445:

ἅπανθ' ὅμοια καὶ Ῥοδῶπις ἡ καλή,

quod recte explicavit Meinekius Phil. 25, 541: nihil differre ab aliis pulchram Rhodopidem. Comparandum est *λύχνου ἀρθέντος γυνὴ πᾶσα ἡ αὐτή* CPG II, 511. *Ἡ Ῥοδῶπις ἑταίρα ἦν περὶ Ναύκρατιν τῆς Αἰγύπτου, ἧς καὶ Σαπφὼ μνημονεύει καὶ Ἡρόδοτος* (II, 134—135: *αὕτη . . . οὕτω δή τι κλεινὴ ἐγένετο, ὡς καὶ οἱ πάντες Ἕλληνες Ῥοδώπιος τὸ οὔνομα ἐξέμαθον*). Crus. An. 135 prov. inter Demoniana numerat.

Lais pro meretrice pulchra dicitur. Plut. amat. 16, 1 Anth. V, 250. VII, 222. Athen. IV, 137 D. *τάδε οὐ Κόρινθος οὐδὲ Λαΐς.*

Stentoris vox *ἡ Στέντορος φωνή; Στεντόρειος φωνή.* Nostri quoque: Stentorstimme. *Στεντόρειος κῆρυξ* Arist. pol. VII, 4, 7. *Μεῖζον ἐμβοᾶν τοῦ Στέντορας* Luc. *περὶ πένθους* 15. cf. Dio Chrys. or. 33 p. 412. Originem duxit ex Hom. *E* 785 sq.

Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλεοφώνῳ
ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

Ἄργου ὀξύτερον ὁρᾶν Luc. de hist. conscr. 10. Plaut. Aul. 545: quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit etc. Nostri: Argusaugen.

Lyncei, qui propter aciem oculorum in prov. consuetudinem venit, nomen aut ab animali lynce ductum est, cuius oculi acerrimi nobis quoque in translationem abierunt, aut ab etymo *λυκ,* quo significatur videre cf. G. Curtius Etym. Gr.[3] 344 s. *λύγξ* 152 et s. *λεύσσω.* Comparatio *ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως βλέπειν* vel similes locutiones persaepe nobis occurrunt apud scriptores antiquos [Arist. Plut. 210 schol. Apoll. Rhodius, saepius. CPG I, 430, 70. 71 p. 440. cf. C. O. Müller, De Lynceis diss. Gott. 1837 p. 5. Bauck p. 53. Luc. Hermet. 20: *σὺ δὲ ὑπὲρ τὸν Λυγκέα ἡμῖν δέδορκας καὶ ὁρᾷς τὰ ἐνδὸν ὡς ἔοικε, διὰ τοῦ στέρνου,* pro imagg. 20], qui, ut alia omittam, eum per parietem, quaeque sub terra condita essent, cernere potuisse lepide narraverunt. Certe igitur Lyncei persona descripta est vetustissimis volgi fabellis, quas nos dicimus Märchen. Crus. Görl. 41.

Heraclitus cursor celeritate insignis Miller 365 CPG I, 94. *θᾶσσον ὁ τόκος Ἡρακλείτω Περιναίω τρέχει.* Hic latere videtur versus comœdiae Doricae cf. cod. Pierson. post Moerin *θᾶττον*

τόκος τρέχει Περιναίου Ἡρακλείτου, quae verba in versum septenarium redigi possunt. Perina oppidum Asiae nominatur apud Steph. Byz. s *Παρπάρων*, sed de nomine patriae non liquet. Holstenius *Περπερίνην* scribendum esse proposuit, ut si inde fuisset cursor *Περπεριναίῳ* Zenobio reddendum esset. Quid si cogitemus de oppido „Terina" in Bruttiis sita? cf. Förster, Olymp. Sieger. Progr. Zwickau 1891 p. 23.

Tityus ingentem corporis proceritatem significat Theocr. XXII. 94: cf. Tribukait p. 42 Hygin. fab. 55. Ovid. Met. 4, 457.

Ὁ Κλεομένης τῆς κοίτης ὑπερέχει CPG II, 557, quod ductum apparet secundum Erasmum p. 824, a quopiam corpore quam pro lectuli modo maiore, et toto colore Apostolii ‚proverbium' iudicandum neque alibi traditum est. Unde id finxerit, cognosci nequit.

Ad varias narrationes refertur proverb. *οὐδὲ Ἡρακλῆς πρὸς δύο* Miller 349, quae inter se contrarie legebantur apud Duridem, Echephyllidam, Hellanicum, Dionem. Qua ipsa mira fabularum diversitate cognoscas, ea a viris doctis vel excogitatas vel temere ad proverbium nostrum revocatas esse, cum praeterea iam ab illo, qui primus eo usus esse videtur in scriptis, ab Archilocho (schol. ad Aristid. 429 Dind.) nec non a posteris ita adhibeatur, ut cui explicationi assensus sit scriptor, dici non possit. Unus fere Plato Euthyd. 297 C aperte originem rettulit ad Herculis cum hydra et cancere certamen. Sed quid acta agam? Quicunque inspexerit Gotting. editorum praeclaram adnotationem doctrinae plenam ad CPG I, 140, facile sibi persuadebit, veram proverbii originem quaerendam esse ex nominis illa Herculis vi et significatione, qua idem erat ac vir fortissimus et validissimus cf. cod. Palat. gr. 129 ed. Treu Phil. 47, (1888—89) p. 196 *πρὸς δύο οὐδ' ὁ Ἡρακλῆς ἤγουν πρὸς δύο ἀσθενεστέρους οὐδ' ὁ πολλὰ ἀνδρεῖος.*

Οὗτος ἄλλος Ἡρακλῆς CPG I, 140 Clearchi de duobus Herculibus narratio vix mentione digna est. Recte CPG I, 190 *ἐπὶ τῶν ἰσχυρῶν καὶ κραταιῶν ἡ παροιμία:* item reliqui paroemiographi cf. Aelian. v. hist. XII, 22. Eustath. Il. V, 638. Luc. ep. 11, 95 *ἔχεις δεύτερον Ἡρακλῆα. Ἡρακλῆς καὶ πίθηκος* dicitur de rebus non comparandis Luc. pisc. 37. CPG II, 171. II, 117.

Ἡράκλειος νόσος paroemiographorum CPG I, 91 testimonio dicebatur morbus comitialis, *ἱερὰ νόσος,* quia Hercules propter ingentes labores in eum incidisse ferebatur, id quod tradidit Dicaearchus apud Zenobium CPG I, 91 Aristot. problem. 1, 30. Hippocr. 593, 10. Sed principalem vocis *Ἡράκλειος* significationem nihil aliud praestitisse, nisi morbum gravissimum cum Erotiani explicatione dementiam, Aretaeique *Ἡράκλειον πάθος* elephantiasin esse putantis (cf. Papii Onomast. s. v.) verisimile fit, tum alio huius adiectivi usu, velut *Ἡράκλειος ψώρα* de scabie aegre sananda dicitur cf. Suid. s. v. CPG I, 171. 250; vel notus ille Romanis quoque Herculaneus nodus dictus pro vinculo arctissimo *Ἡράκλειον ἅμμα* CPG II, 448. Eadem opinor significatione effectum est, ut magnetem lapidem *Ἡρακλείαν λίθον* appellarent CPG II, 172.

Proverbia a corporis vitiis petita. *Θερσίτειον βλέμμα* CPG I, 419. *Θερσίτειον εἴδωλον* ibid. Suid. s. *Θ.* Liban. ep. 1522 *τοὺς ἄλλους ἡγοῦνται Θερσίτας* Apul. Flor. 1, 3 p. 12 al. Natum quidem prov. est ex Homeri B 212 sqq., sed nomen significans est ducendum a *θέρσος* = *θάρσος,* Frechling.

Κορυδέως εἰδεχθέστερος. Hes. s. *Κορυδ.* CPG I, 101. 262. E comicorum irrisionibus fluxit.

Τοῦ Κροίσου παιδὸς σιγηλότερος CPG II, 686 Apostolii inventum esse videtur, fortasse ex [Herodot I, 85 de Croesi filio muto] Luc. pro imagg. 20 *διομόσαιτο δ' ἂν καὶ τὸν Κροισου παῖδα ὀξυηκοώτερον εἶναι τοῦ Μελάμποδος.* cf. Gall. 25. Gellii N. Att. V, 9.

Perdix non nomen fuisse sed ioculare cognomentum cauponis cuiusdam ductum ab ave perdice, quam Gerland, Ueber die Perdixsage, Progr. Hal. 1871, eandem esse putat atque nostram Kiebitz, luce clarius apparet ex Aristophanis Avibus 1292 sq.:

πέρδιξ μὲν εἷς κάπηλος ὠνομάζετο
χωλός, Μενίππῳ δ' ἦν χελιδὼν τοὔνομα

cf. Kockii commentarium ad. l. l. Qui cum claudus esset, a comicis ita traductus est, ut cognomen eius in proverbium abiret; Arist. Byz. apud schol. Arist. l. l. CPG I, 341: *τὸ Πέρδικος σκέλος.* Plenior proverbii forma est CPG I, 406:

Ἐν παντὶ μύθῳ καὶ τὸ Πέρδικος σκέλος.

Hegemon enim, quotiescumque facetiarum indigeret, in eius crus debile incidisse dicitur. Castigatur igitur proverbio mos hominum litteratorum sicut gemello:

Ἐν παντὶ μύθῳ καὶ τὸ Δαιδάλου μύσος.

quorum adagiorum alterum ad alterius exemplar factum esse videtur. Similiter usurpatur *Κήμιδος σκέλος* Hes. s. v. Pamphilus ap. Athen. I, 4 D. Meinek. Phil. Exerc in Athen. Deipn. spec. I, 2, qui perapte comparavit illud Euripidis Aristophanei *ληκύθιον ἀπώλεσεν.*

Πέρδικος καπηλεῖον Hes. CPG I, 446 lemma, non proverbium est cf. Fritzsch. Quaest. Arist. I, 76. Quae a Suida afferuntur *Περδίκειον χάρα* et *Περδίκειος πούς* non ad cauponem Perdicem spectare videntur, sed ad avem rectius revocantur.

Proverbia ad fortunae conditionem pertinentia. In proverbium abierunt imprimis regum Asianorum divitiae; velut iam ex aetate fabulosa Tantali et Midae thesauri. Quod ad proverb. *Ταντάλου τάλαντα* attinet veteres (Phot. 201 Nab. Suid. s. v. CPG I, 161) tradiderunt, et Tantalum propter divitias celeberrimum fuisse et adagionem dictam esse *παρὰ τὴν ὁμοιότητα τῶν ὀνομάτων* (Suid. s. *τὰ Ταντάλου τάλαντα ταντελίζεται*). Suid. s. *τὰ Τ. ταλαντίζεται* (verba *ταλαντίζω* et *ταντελίζω* litterarum tantum ordine inter se differre neque ducenda esse cum Stephano a nomine Tantali, quis non videt?) aperte verborum lusus auctorem Anacreontem nominat. Apostolius Suid. librum describens ad verba *ὡς καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ εἴρηται* falso addidit *Ταντάλου τάλαντα*

ταλαντίζεται, cum supplendum sit, id quod Bernhardius iam statuit: *Ταντάλου τάλαντα,* qua voce Menander usus est in *Κυβερνήταις* frg. 1, IV, 156 Mein.

Itaque *Ταντάλου τάλαντα* intellegenda sunt Tantali talenta vel divitiae, quae explicatio et usitatissimam vocabuli *τάλαντον* vim servat et comprobatur similibus proverbiis *Ταντάλου χρήματα* Plato. Euthyphr. 11 E et *Ταντάλειος πλοῦτος* Plut. An vit. ad infel. suff. 1 nec non ea re, quod *Πλουτοῦς παῖς* dicitur. *Ταντάλου τάλαντα ταλαντίζεται* nos diceremus: er wiegt an Geld soviel als Tantalus. Miro quodam modo Theissius in dissertatiuncula de proverbio *Ταντάλου τάλαντα* (Progr. Nordhaus. 1855) scripta veteres ineptae garrulitatis et neglegentiae accusans, vocem *τάλαντα* explicat significare rem, quae pondus habeat, quae molestiam paret. *ταλαντίζειν* autem esse huc illuc agitare, suspensum tenere, Tantali in modum *σαλεύεσθαι.* Unde colligit *Ταντάλου τάλαντα ταλαντίζεσθαι* idem esse ac Tantali perpeti labores. Quis vero doctus verba *ταλαντεύω* s. *ταντταλεύω* sim., ducat a nomine Tantali neque de voce eiusdem stirpis *τάλαντον*? Quis denique credat, rem quae pondus habeat, ob eam rem molestiam quoque parare? *τάλαντον* significat aut libram aut pondus certum, at nullo loco sortem a Fortuna impositam. Neque enim recte perspexit Papius in lexico s. *τάλαντον* (Append. Anthol. 276. cf. Jacobs II, 844. III, 945) epigrammatis verba:

οὐδὲ Τύχης σε δάμασσε παλιγκλίναντα τάλαντα,

quae sic fere vertenda sunt: ne rursus depressa quidem lanx illa librae te domuit Fortunae. Neque igitur dubium esse potest, quin docta parœmiographorum explicatio proverbii *Ταντάλου τάλαντα* de divitiis Tantali retinenda sit neque minus certum videtur, Tantali nomen ab consonantiam verborum in hoc proverbio adhibitum esse. cf. Bauck 48. Ohlert, Rätsel p. 229.

De Mida cf. Bauck 49. Tyrtaei frg. IX, 5:

οὐδ' εἰ Τιθωνοῖο φυὴν χαριέστερος εἴη
πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινύραο πλέον.

Catull. c. 24, 4 mallem divitias Midae dedisses isti, eodem sensu adhibetur thesaurus Midae atque apud nostrates vox: märchenhafter Reichtum. Midas vocabatur etiam *ὁ ἐν κύρβοισιν εὐβολώταος* Zen. Ath. II, 89. Phil. 46, p. 613.

Cinyras rex Cyprius fuit. *Κινύρου πλουσιώτερος* et *Κινύρου τάλαντα.* De Gyge. cf. Archilochi illud:

οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

Liban. epist. 217. Luc. paras. 58: *εἰ καὶ τοῦ Γύγου χρυσίον ἔχει.*

Croesi nomen etiam nostris aequalibus sollemne est. Theocr. X, 33. VIII, 53 et quae contulit Tribukait p. 42 *τὸ Δαρείου χρυσίον* memoratur a Plat. Lys. 211 E. Them. orat. 22, 260. Plaut. Aul. 85. Quorum nomina coniungi solent velut *τὸν Μίδα πλοῦτον καὶ Κροίσου καὶ Κινύρου* CPG I, 316, ubi alia multa attulerunt Gottingenses. Divitias significat etiam *Βάττου σίλφιον* CPG I,

386. II, 326. Primus eorum, qui ad nostram aetatem pervenerunt auctorum adhibuit prov. Arist. Plut. 925:

οὐδ' ἂν εἰ δοίης γέ μοι
τὸν Πλοῦτον αὐτὸν καὶ τὸ Βάττου σίλφιον.

Battiadae enim, Cyrenaeorum reges, cum soli silphii emendi et vendendi facultatem haberent, ditissimi facti sunt. Illam mercaturam notabilem fuisse antiquis, documento est vas illud, in quo Arcesilaus rex silphii pensionem observans pictus est; cf. vocem: Pfeffersack.

Ὑπὲρ τὰ Καλλικράτους. Clearchus CPG I, 170 Callicratem divitem Carystium, CPG I, 318. II, 701 Apost. Corinthium appellant. Contra Aristoteles Atheniensem eum fuisse et prov. inde ductum esse recte, ut videtur, existimavit, quod ille iudicum stipendia nimis auxisset, qua de re egit Mein. FCG IV, 700. Sed adhuc sub iudice lis est; v. adn. p. 30 huius dissertationis.

Proverbium *λακκόπλουτος εἰ κατὰ τὸν Καλλίαν* Apostolianae officinae signum prae se fert. At in proverbii consuetudine fuisse divitias Calliae docent Aeschin. Socrat. d. II, 9 *φαίης ἂν εἶναι Καλλίου τοῦ Ἱππονίκου πλουσιώτερος* et quae collegerunt Gotting. ad CPG II, 497. Narrant Phot. Suid. (cf. Bernh. adn.) Apostolius Calliam potitum esse auro, quod Persae cuiusdam servi, cum celerrime fuga fieret post pugnam Salaminiam, in puteum iecissent. Proprius ad veritatem accedit Hesychius s. *λακκόπλουτος· ὁ Καλλίας, ὑπὸ τῶν κωμικῶν διὰ τὸ περιτυχεῖν χρυσῷ εἰς φρέας βεβλημένῳ.* Vox *λακκόπλουτος* enim originem traxit e fabellis miraculosis, quibus de thesauris devotis et sub terra vel in puteis conditis narratur. cf. Crus. Görl. 44/45; eum igitur vox significat, qui thesauros miraculosos e puteo tali adeptus est.

Quae ratio sit prov. *Ἀγκισθένους ἱμάτιον* ignoramus et, ut videtur, ignorabimus; nam Macarii CPG II, 221 explicatione *ἐπὶ τῶν πολυτελῶν* tantum non nihil illustratur.

De vetere generis nobilitate usurpabatur nomen Eteobutadarum, quae gens stirpem ducebat a Buta sacerdote cf. Phot. Suid. s. *Ἐτεοβουτάδαι*; CPG II, 407 *ἐξ Ἐτεοβουταδῶν ἕλκει τὸ γένος*: forma prov. ab Apostolio inventa est, sed certe posteriores nomen *Ἐτεοβουτάδης* loco proverbii adhibuisse docet Synesius, de insomn. 146 C: *διαφέρει δὲ οὐδὲν τῷ θεῷ τίς ὁ Ἐτεοβουτάδης καὶ τίς ὁ Μάνης ὁ νεώνητος.* De Manis nomine pro servo posito videas praefationem.

Egestatis exempla sunt:

Irus ille Homericus. Liban. ep. 487. Suid. s. *Παύσων.*

Connas tibicen. Bauck p. 49. Eundem fuisse atque Connum Socratis magistrum, recte observavit Stallbaum in Proll. ad Platonis Euthydemum p. 57—60. Saepius iste a comicis ob paupertatem derisus est cf. Mein., Quaest. scen. II, 43 sqq. Parum idoneis rationibus prov. *Κόννου ψῆφον* Arist. Vesp. 673 schol. Hes. Suid. s. v. *ἐπὶ τῶν οὐδενὸς ἀξίων* olim *Κόννου ψόφον* conceptum fuisse

Kusterus ad Suid. ed. Bernh. studuit demonstrare. Connus enim dicitur homo nullius pretii s. momenti.

Τελενίκου πενέστερος prov. Apost. CPG II, 663. Explicatio vocis *τελενικῆσαι* (corr. *τελενικίσαι*) grammatici errori debetur cf. Meinek. FCG II, 1, 319; adn. Gott. ad CPG II, 663. *τελενικίσαι* enim est vox comica Cratini in Seriphiis, ut Suid. tradidit, dicta in Telenicum quendam poetam futilem. Conspicua hoc loco est Apostolii neglegentia, qui inde fecit *οἱ Σερίφιοι λέγουσιν*. Eundem sensum praebet locutio *ἠχὼ Τελενίκιος* de carminibus inanium verborum plenis. Falso igitur Martinus p. 13 vertit verbum *τελενικίσαι* ausbeuteln; locutionem proverbialem fuisse non crediderim.

Proverbia a senectute petita. *Τιθωνοῦ γῆρας* CPG I, 166. 312. Suid. s. *Καταγηράσαις Τιθωνοῦ βαθύτερον*. Usurpat praeter alios Luc. dial. mort. 8, 1: *ὑπὲρ Τιθωνὸν ἔζη ὁ γέρων* cf. Slothouber p. 74. Luc. Hermot. 50. *κατὰ τὸν Τιθωνὸν πολυετὴς καὶ μακρόβιος*. cf. v. Wyss p. 15. In cicadam eum mutatum esse auctor est Clearchus apud Zenobium l. l.

Τὸ Ἡσιόδειον γῆρας CPG II, 221; I, 456 laudatur Aristot. Orchom. rep., ubi ille hoc de Hesiodo epigramma attulit:

Χαῖρε δὶς ἡβήσας καὶ δὶς τάφου ἀντιβολήσας
Ἡσίοδ' ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης.

De Hesiodo his sepulto cf. Bergk. P. lyr. Gr. I, 383. Suid. s. *τὸ Ἡσιόδειον γῆρας* Pindaro tribuit epigramma illud.[1])

Σιβύλλης ἀρχαιότερος CPG II, 207 de hominibus longaevis dicitur, cf. verbum *σιβυλλιᾶν*, apud Arist. Equ. 61, quod schol. saltem hunc in modum interpretatus est: *ἢ παραληρεῖ ἐπειδὴ ἡ Σίβυλλα μακρόβιος.*

Caput II,

continens proverbia ab hominum quorundam artibus, ingeniis, moribus sumpta.

Proverbia ab artibus petita. De artibus musicis proverbii locum obtinuerunt locutiones haece:

Ἀγαθώνειος αὔλησις CPG I, 2. II, 241 parœmiographi tibicinem fuisse Agathonem hariolati sunt; spectat re vera locutio poetam tragicum, Aristophanis aequalem, cf. Arist. Ran. 84, Thesm. 98 schol. Platon. Symp. saepius. Prot. 315 E. Hes. Suid. Cum proverbio Athenis volgato Martinus p. 12 comparavit nostratium vocem: „ Mondscheindichter."

[1]) cf. Friedel, die Sage von Hesiods Tod, Ann. Suppl. X, 235.

Κάκιον ἢ Βάβυς αὐλεῖ Athen. XIV, 624 B e Theophrasti *περὶ ἐνθουσιασμοῦ* libro, ut videtur. Enarrator Zen. CPG I, 106 Marsyae fratrem eum fuisse fabulatus est; quae parœmiographi interpretatio cum nullam habeat auctoritatem, cave ea defendas lectionem *κάκιον Βάβυς αὐλεῖ*, tamquam id esset: peius quam quem Apollo obtruncet; verum fuisse videtur *κάκιον Βάβυος* CPG I, 386. [*Βάβυος χορός* lectio corrupta est e *Βάβυος χεῖρον* Plut. Crus. 3, cf. Apost. CPG II, 689 = cod. L apud Jungblut. M. Rh. 38 p. 402 *τοῦ Βάννος* (sic) *χοροῦ*.] Ineptam suo ingeniolo fretus interpolator Byzantinus addidit explicationem. cf. Crus. ad Plut. 242 et Phil. S. VI p. 302. Proverbium spectat ut *ἄφωνος Ἱππαρχίων* res Alexandrinorum, qui omnibus civitatibus eruditiores esse arte musica sibi videbantur. Originem accuratius patefacere nequeo.

De Orpheo Apost. CPG II, 675 prov. fecit: *τῆς Ὀρφέως ἀπόζεις κιθάρας ἐν τῷ λέγειν.* Sed proverbiale prisci vatis nomen fuit. Bio enim Orpheus Doricus vocabatur. cf. Tribukait p. 43 atque vi proverbiali adhibebantur *Ὀρφέως μέλος, γλῶσσα,* sim. locut. cf. Koch. p. 47.

Versus:

Ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον

comœdiam sapit. Nicostratus enim histrio tragicus fuisse traditur celeberrimus. cf. cod. C. CPG I, 395: *ἐπὶ τῶν ὀρθῶς πάντα ποιούντων· ἦν γὰρ ὁ Νικόστρατος ὑποκριτὴς τραγικὸς ἄριστος καὶ μάλιστα ἐν ταῖς τῶν ἀγγέλων ἐπαγγελίαις. ὅθεν καί τινες εἶπον·*

ἐγώ τοι φράσω πάντα κατὰ Νικόστρατον.

cf. cod. M. I, 42 et quae animadvertit Miller 353. Suid. falso comœdum eum appellat cf. Mein. FCG I, 347.

Metaphorice dicebantur:

Calchas pro vate cf. Anth. VII, 688 *δύο Κάλχαντες* Luc. salt. 36.

Eurycles pro ventriloquo vate Suid. s. *Εὐρυκλῆς* s. *ἐγγαστρίμυθος* Arist. Vesp. 1014, 1019 schol. Plat. Soph. 252 schol. Hes. Plut. de defect. orac. 9 eosdem homines Pythonas postea appellatos esse narrat. cf. CPG II, 376. schol. Plat. l. l. etiam de eis, qui suo damno fatidici sunt, adhibitum esse nomen Euryclis tradidit. Consentit cum eo cod. Coisl. CPG I, 340.

In eis artibus, quae in effectu positae sunt, in proverbii consuetudinem venit artifex vetustissimus Daedalus, cuius nomen celeberrimum a voce *δαίδαλος* ductum artificem significat, cf. Brunn, Gesch. d. griech. Künstl. I, 14 sqq. Ab eo variae locutiones proverbiales originem traxerunt, velut *Δαιδάλου ἔργα* Athen. VII, 301 B; al. *Δαιδάλου τεχνήματα* Luc. Philops. 19 *Δαιδάλου χείρ* Plat. Hipp. mai. 282 A. Hipp. min. 97 D. *Δαιδάλου ποιήματα* CPG II, 23. Plato Euthyphr. 11 B; al. *Δαιδάλεια ποιήματα* Zen. Miller 350 cf. Slothouber 43. Eurip. Hec. 836: *ἢ Δαιδάλου τέχναισιν ἢ θεῶν τινος.* Huc deinde pertinent nomina proverbialia:

Aceseus et Helico, qui Minervae Poliadis peplum fabricati sunt· CPG I, 22. Ἀκεσέως καὶ Ἑλικῶνος ἔργα CPG I, 197 Athen. II, 48 C. Völkelius, Archaeol. Nachlaß I p. 118 sq. eos nomina ab artificio accepisse haud insulse coniecit, sed res parum certa est, cf. Brunn, Gesch. d. gr. Künstler II p. 12 sqq. De nominis forma Ἀκεσεὺς egit Crus. Annal. 143 (1891) p. 393.

Glaucus, aeris fusor Chius secundum Herodotum, Athenaeum, Pausaniam, Libanium vel Samius (Plut. Zen. Suid.) CPG I, 341 Γλαύκου τέχνη, Suid. s. γλαῦξ. Proverbialem fuisse eam locutionem docet Plat. Phaed. 108 D et schol. Brunn, l. l. I, 27.

Θηρικλείου φίλος. Thericlea pocula genus vasorum fuerunt a Thericle quodam, ut Graeci putabant, inventorum. Welckerus autem in Mus. Rh. VI (1839) p. 404 sq. vocem θηρίκλειος interpretatus est de poculis ferarum figuris depictis: qua in explicatione nihil offendit nisi adiectivi θηρίκλειος forma, quae solum a Θηρικλῆς derivari potest. Eiusmodi poculis homines bibaces libenter usos esse Athen. XI. 470 E. Plut. Quaest. conv. I, 3 p. 619 D. aliique tradiderunt. Θηρικλείου φίλος recte igitur CPG II. 457 explicatur: ἐπὶ τῶν μεθυόντων. Proverbia huiusmodi voces ea, quam supra exposuimus definitione appellare non possumus; quis enim huius aetatis hominem, cuius inventis ipsius nomen inditum est, ut saepius fit, ideo in proverbii usu esse putet?

Proverbia a sapientia vel calliditate hominum quorundam profecta. Sisyphus instar hominum callidissimorum erat iam Homero Z 153:

ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὃ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν
Σίσυφος Αἰολίδης.

Arist. Ach. Σισύφου μηχαναί, cf. schol. 391. Ab Aeschine f. leg. 43 Demosthenes ut homo ‚ingeniose nequam' appellatur ὁ Σίσυφος ὅδε. Cognomen Dercyllidae Lacedaemonii fuit, Xenoph. H. Gr. III, 1, 8. Alter heroum, qui ob dolos suos in proverbii consuetudine erat, Ulixes a nonnullis filius eius factus est. CPG II, 191. Ὀδυσσεὺς Σισύφῳ συνῆλθεν. Ὀδυσσέως συνετώτερος Luc. dial. mort. 9, 4. Tim. 23. Cramer. Anecd. Par. I, 398, 17. Telephi Euripidei versum:

οὐ τἄρ' Ὀδυσσεύς ἐστιν αἱμύλος μόνος

Stob. flor. 29, 55 proverbii loco adhibuit Plut. Lys. 20. Liban. ep. 78 οὐδὲ Ὀδυσσέως λείπομαι ἐν δόλοις. Suid. s. Ὀδύσσειος μηχανή. Plaut. Pseud. 1244:

superavit dolum Troianum atque Ulixem
Pseudolus. cf. v. Wyss. p. 16.

Fabulae de Embari sacrificio caprae pro filia subditae auctor nobis vetustissimus est Pausanias lexicographus apud Eust. ad Hom. B 732 p. 331, 26. Narratio sumpta est a rebus sacris Atheniensium cultuque Dianae humanis gaudentis victimis cf. O. Müller., Dor. I, 380 Boeckh CIG II, 89. Unde Crusius recte ad Demonem narrationem redire collegit Anal. 146 [ubi pro Wilamowitz „aus Kydathen" p. 237 legas p. 137 n. 1]. Certe e fabella

astutia Embari evincitur et vera est Pausaniae, Hes., Suid. explicatio *Ἔμβαρός εἰμι· νουνεχής, φρόνιμος*. Quomodo autem effici potuerit Suidae s. *Ἔμβαρός εἰμι* fin. CPG I, 402. II, 397 explicatio: *ἐπὶ τῶν παραπαιόντων καὶ μεμηνότων* docet Hes. s. *οὐκ Ἔμβαρος εἶ· οὐ φρονεῖς· ἀπὸ τῆς Ἐμβάρου φρονήσεως*; ante lemma *Ἔμβαρός εἰμι* igitur particula *οὐκ* excidit. In proverbii consuetudinem venit Embari calliditas, qua etiam deos decepit, e fabellis miraculosis cf. Crus. Görl. p. 40. Miller 350.

Myscelli sapientia percrebruit, quod Crotonem i. e. bonam valetudinem (*ὑγιέστερος Κρότωνος* CPG II, 778) Sybaridi i. e. divitiis ex oraculo praetulisse dicitur. *Μυσκέλλου ψῆφος* CPG II, 762. Hippys Rhegin. ap. Zen. CPG I, 67. Strabo VI, p. 262. Diod. Exc. Vat. 10.

Bias causam dicendi peritissimus habetur ab Hipponacte frg. 70 Bergk:

Δικάζεσθαι Βίαντος τοῦ Πριηνέως κρείσσων

Suid. s. *δικάσσασθαι* CPG II, 329 *Βίαντος Πριηνέως δίκη*. Ceterum septem sapientium nominum certe unumquodque proverbiali sensu usurpari potuisse. quamquam vix exstant testimonia, nemo, opinor, negabit.

Thaletis saltem Milesii nomen appellativi locum obtinet apud Arist. Av. 1009 *ἄνθρωπος Θαλῆς*, qua voce laudatur Meto mathematicus ille clarissimus. cf. Plaut Rud. 1003: enim vero stultus es. G.: salve Thales!

Nomina proverbialia, quibus homines stulti notantur. Abundabat Graecorum gens cavillationum amantissima vocibus atque nominibus propriis, quibus stultitiam significarent et carperent. Particula tantum harum copiarum servata est excerpto libri Suetoniani *περὶ βλασφημιῶν* ed. Miller p. 421—422. Maior numerus exstat apud parœmiographos; tamen sine dubio multa perierunt. De his fere omnibus hominibus stultis fabellas narrant veteres, quae ut ab historiae fide alienae, ita lepidissimae et ridiculae sunt velut de Amphistide CPG I, 251. Suid. s. *γελοῖος* (Suet. l. l. 422 *Ἀμφιστείδης* legendum est pro *Ἀμφιετίδης*), de Butalione, Meletide, Coroebo Suid. s. *Βουταλίων*, Suet. l. l. cf. quae contulit L. Cohn, de Arist. Byz. et Suet. Tranqu. Eustathii auctoribus, Annal. Suppl. XII, (1881) 350 sq. CPG I, 101. *Κοροίβου ἠλιθιώτερος*. Luc. amor. 53 *Μελητίδην ἢ Κόροιβον οἴει με πρὸς θεῶν*.

Acco, femina stupida, schol. Plat. Gorg. p. 497 A. Suet. l. l. 422. CPG I, 21; unde vox *ἀκκίζεσθαι* derivatur CPC I, 197 cf. Mein, CGF I, 404. Slothouber, p. 16. L. Cohn l. s. l. De verbo *μακκοᾶν* a nomine, quod Graece est *Μακκώ* oriundo v. Bauck. 52. Crus. Görl. 43.

Mammacythus nomen significans est: „qui sub mammis delitescit“ cf. Arist. Ran. 990. Bauck. 51. Them. or. 26 p. 223. Mein. CGF I, 175. 218. cf. *τηθαλλαθοῦς· ὁ ὑπὸ τήθη καὶ*

γυναιξὶ τεθραμμένος καὶ διὰ τὴν τρυφὴν ἐκλελυμένος καὶ ἄχρηστος Hoffmann p. 14 et *βλιτομάμμας* id. p. 6.

Margitae[1]) nomen secundum Eustath. Il. K., 552 originem accepit a *μαργαίνειν* i. e. *μωραίνειν*, cum quo convenit Welcker, de Margite Homerico op. IV, 27. Lessingii Hamb. Dram. II, 306 observationem Margitam non esse nomen vere proprium sed ad morum notationem inventum, satis probabilem reddidit. Exempla stupiditatis eius qui *πόλλ' ἠπίστατο ἔργα, κακῶς δ' ἠπίστατο πάντα,* collegerunt Suid. s. *Μαργίτης* CPG II, 517 *Μαργίτης εἶ* cf. Suet. Miller 422. Bode, Gesch. der hell. Dichtkunst I, 409. Kinkel, Epic. gr. fr. I, 66. In proverbii consuetudinem iam ante carmen illud Homericum vetustissimis volgi fabellis venisse videtur, cf. Arist. rhet. 4 Eth. Nicom. 6, 7. Neque aliter res se habet de ceteris hominibus stultis, quorum supra commemoravimus nomina. Crus. Görl. 39—40.

Βοῦθος περιφοιτᾷ Cratinus in Chironibus apud Zen. CPG I, 50. 326. Suid. s. v. Teste Herodiano *π. μον. λέξ.* 42, 8. Pythiis palmam tulerat. Haud scio an eius et Butalionis nominibus innuatur boum superbia cum stupiditate mixta v. Hoffmann p. 24 sq.

Panedes Chalcidensium rex in certamine Homeri et Hesiodi huic victoriae praemium tribuisse dicebatur, unde Apost. CPG II, 606 proverbium fecit: *Πανείδου ψῆφος* de stulto indicio.

Proverbium *ἀρχαιότερος Ἰβύκου* recte iam Welckerus in M. Rh. I, 405 magistelli cuiusdam inepte inventum esse putavit, cui tam ingeniosum virum procul patria vitam egissse mirum videbatur. CPG I, 207. 251, 12. cf. Schneidewin. ad Ibyci rell. p. 15.

Charixena apud Arist. Eccles. 943 *οὐ γὰρ τἀπὶ Χαριξένης τάδ' ἐστιν* i. e. neque enim ut Charixenae aetate res se habet, cf. Fritzsche ad Luc. I, p. 170. Quae fuerit, nescimus. Nam schol. l. l. explicatio *εὐήθης καὶ μωρὰ ἡ Χαριξένη*, quid habet momenti siquidem Suid. s. *Χαρ.* tradidit, eam meretricem fuisse, Etym. M. 367, 21 et Hes. s. *ἐπὶ Χαριξένης* et tibicinam et amatoriorum carminum poetriam appellant? Hes. eandem poetriam esse vult atque illam stultam apud scholiastam; sed CPG I, 411, ubi cf. adn. edd. Gotting. discernitur stulta a poetria. Quid in his explicationibus verum sit, non liquet, cf. Bauck. p. 51 sq. et Phil. 47, 37 sq. Optimum quaestionis fundamentum mulieris nomen esse videtur, quod ducendum est a *χαρίζεσθαι* et *ξένος*. Ingeniose et subtiliter igitur Crus. Görl. 43 locutionem rettulit ad volgi fabellas miraculosas de muliercula paupere, quae deos in terra migrantes hospitio et tecto recepit, ut eadem sit atque notissima illa Baucis. Quem si secuti erimus, accipiamus necesse est *οἷα τἀπὶ Χαριξένης* pro rebus vilibus.

Proverbia a bonis hominum quorundam moribus nata. Iustitiae fama florebant: Rhadamanthys. Bekk. Anecd. I, 61, 23

[1]) cf. Christ, Gr. L. G. p. 56 sq.

Ῥαδάμανθυς τοὺς τρόπους Suid. s. *Ῥαδαμάνθυος κρίσις.* Eadem locutio CPG I, 304. exstat, v. adn. Gott. Rhadamanthys qua erat pietate erga deos, cum numinum nominibus abuti nollet, iurasse dicitur per canem vel anserem CPG I, 152 *Ῥαδαμάνθυος ὅρκος.* Eiusmodi iusiurandum etiam *Σωκράτους* schol. Plat. Apol. 331, Bekk. rel. *Εὐριπίδειος ὅρκος* CPG II, 168. I, 413 appellabatur. Eodem sensu adhibita esse videntur Aeaci et Minois nomina et Bocchoris, rex Aegyptiorum CPG I, 48. Plut. Crus. 25 p. 13. Crus. ad Plut. 251.

Cossas Pellenaeus CPG I, 457 *τοὺς Κόσσα λόγους.* Narratio haec est: Pellenenses cum cotra Salaminios bellum gererent, sociis agri hostilis partem se daturos esse polliciti sunt, sed eorum auxilio victores facti non dederunt, quamvis Cossas ut promissis starent suaderet. Sed pestilentia ob eam causam afflicti Cossae dicta laudaverunt. Qua de causa quandoque fieri potuerit, ut Pellenaei cum Salaminiis bellum gererent, quis coniectura assequatur? At enim auctorem, ut videtur, Demonem fabulatorem habemus.

Propter abstinentiam laudibus efferebantur: Hippolytus CPG I, 257, rell. par. Suid. *Ἱππόλυτον μιμήσομαι· ἐπὶ τῶν σωφρονεῖν βουλομένων.* Phot. *Ἱππόλυτος· παράδειγμα σωφροσύνης.* E tragœdiis proverbialem vim accepit.

Ἴκκου δεῖπνον. Iccus Tarentinus athleta (Rheginum appellat Eust. ad E 670) maiorem quam ob fortitudinem ob continentiam laudem adeptus est; quippe enim cum reliqui athletae magnas ciborum portiones comedere solerent, Iccus modo sobrio victu corpus humanum corroborari intellexerat: Prot. 316 D Abiit igitur in proverbium *Ἴκκου δεῖπνον* de sobrie et illaute cenantibus, cf. Eust. ad Dionys. per. 276. ad Il. l. l., atque inde factum esse videtur, ut *ἰατρός* appellaretur a quibusdam v. Steph. Byz. s. *Τάρας.* Multis ante Platonem annis fuit.

Τὸ Ξενοκράτους τυρίον ob eam causam in proverbii consuetudine fuit, quod Xenocrates, Platonis ille discipulus, quo nemo fuit *σωφρονέστερος* (Stob. Flor. XVII, 25. CPG II, 776. Them. or. II, 30), saepius vinum et opsonium perdebat cum nimis lente cibos consumere soleret.

Zeno stoicorum princeps. *Ζήνωνος ἐγκρατέστερος* Suid. s. v. CPG II, 435. I, 414. Non mirum est, eum optima semper valetudine fuisse, unde natum est proverbium *Ζήνωνος ὑγιέστερος* cf. Diog. Laert. VII, 27. Aliud de Zenone proverbium est *Ζηνωνικὸς κύριος* i. e. herus severus, Sopat. apud Athen. IV, 160 F.

Celeberrima quidem est Orestis et Pyladis amicitia, sed *οὐδὲν Ὀρέστης πρὸς ἡμᾶς καὶ Πυλάδης* ab Apost. CPG II, 590 inventum esse proverbium videtur. Eiusdem notae est ibidem *οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς οἱ Μολιονίδαι* cf. Greg. Naz. or. 20 p. 332 B: *οἱ Ὀρέσται καὶ οἱ Πυλάδαι, οἱ Μολιονίδαι.* Originem fabularum de Cteati et Euryti Molionidarum amicitia explanare conatus est Welcker, op. II, CII—CXVI, sed Molionas esse duas molas

humana specie indutas mihi quidem non persuasit (Il. XI, 750. XXIII, 638). Achillis cum Patroclo amicitiae mentionem fecit Theocr. XXIX, 34 *ὅπως . . . ἀλλάλοισι πελώμεθ' Ἀχιλλέιοι φίλοι*, ita ut eam proverbii loco fuisse facile conicias cf. Tribukait p. 45.

Θησεὺς Πειρίθοον sc. *φιλεῖ* Apost. CPG II, 457; II, 611 *Πειρίθου καὶ Θησέως φιλοξενία.* Commemorant eorum amicitiam praeter scriptores a Gotting. CPG II, 457 laudatos Soph. O. C. 1594. Xen. Conviv. 8, 31. Bion VIII, 2 Plut. Thes. 30. Paus. X, 29, 10 al.

Ἀεί τις ἐν Κύδωνος non tam proverbium de hospitium colentibus (CPG I, 43. Suid. Eust. ad Hom. *γ*, 292. *τ*, 176) quam lemma e carmine iambico esse videtur. *τίς ἐν Κύδωνος* Phot. CPG I, 313. II, 676 proculdubio e pleniore corruptum est. Quis fuerit ille Cydo etiam Eustathio *οὐ πάνυ δῆλον.*

Proverbiali memoria dignae fuerunt Cleopatrae ministrae, quae usque ad mortem ei fidem servaverunt: *Εἰρὰς καὶ Χάρμιον* Plut. Crus p. 21. Crus. ad Plut. 664—668. Crus. Phil. S. VI, 305 Zenob. CPG I, 125 nomina habet *Νάηρα καὶ Χαρμιόνη*, alii alia sim. Rem narrant Plut. Anton. 86. Galen *περὶ θηριακῆς*. cf. Drumann, Hist. Rom. I, 498 sq.

Proverbia a malis hominum quorundam moribus nata. Maior, ut fieri solet, apud Graecos quoque eorum hominum est numerus, qui propter malos mores immortalitatem quasi proverbio adepti sunt.

Horum facile celeberrimus fuit Eurybatus s. Eurybates, qui in sermone Graecorum easdem partes agebat atque in fabellis nostratium: der Meisterdieb, qui vocatur, cf. Crus. Görl 41. Veteres autem de persona hominis et origine vocis *εὐρυβατεύεσθαι* non iam satis eruditi erant. Duris enim apud Suid. Ulixis praeconem eum intellexit, cf. Il. II, 284. IX, 170. Od. XIX, 247 C. Müller ad FHG II, 479; a Cercope proverbium repetit Diotimus poëta apud Apost. CPG II, 428, Ephorus apud Diod. Sic. IX, 45. Suid. s. *Εὐρύβατον* ex Harpocratione mentionem fecit Ephesii cuiusdam Eurybati, qui Croesum prodidisse fertur. Alii, qui Aristotelis auctoritate iuvantur, suo iure furem callidissimum eum finxerunt Suet. l. l. p. 416. Tzetzes in Cram. Anecd. Oxon. IV, 140 cf. L. Cohn Annal. S. XII, p. 353. Eurybati famam etiam apud recentiores Graecorum valuisse, apparet recenti voce *Ὑπερευρύβατος*, qua *ὁ ὑπερβάλλων Εὐρύβατον πονηρίᾳ* significabatur. cf. Bekk. An. Gr. I, p. 67.

Comparandum est prov. *Σίμωνος ἁρπακτικώτερος* Suid. s. *Σίμων* fictum est locis Arist. Nub. 351. 399. cf. Eupol. schol. ad Nub. 351. Haud scio an ad eundem Simonem spectet proverbium *οἶδα Σίμωνα καὶ Σίμων ἐμέ*, quod Zen. CPG I, 137 ab principibus Telchinum Nicone et Simone, ob veneficia et cantione infamibus natum esse explicat. Sed hoc interpretamentum recentioris aetatis esse verisimile fit ex verbis *διόπερ οἱ παροιμιαζόμενοι*

μόνον τὸν Σίμωνα ὀνομάζουσιν. Immo verisimilior est Crus. ad Plut. 241 coniectura latere in proverbio trimetrum:

[ἐγ] ᾠδα [γὰρ] Σίμωνα καὶ Σίμων ἐμέ,

qui versus e comœdia originem duxerit. Nam nomen Simonis, quod ipsa origine nasutum hominem vel derisorem significat, celebre fuisse docuit in comœdiis recentioribus. Saepius autem ab interpretibus antiquis nomina explicanda in mythum translata sunt velut „Byzinus" ille, Babys ab Hipponacte frg. 97 Bergk commemoratus, quem Marsyae fratrem finxerunt. cf. Crus. Phil. S. VI, 301.

Item ignota est persona Cillicontis. Ex Arist. Pac. 362 enim:

οὐδὲν πονηρὸν ἀλλ' ὅπερ καὶ Κιλλικῶν (sc. *ποιῶ*)

nihil aliud colligi potest nisi Cillicontem dici propter spectatoribus notum aliquid facinus; recte explicat scholiasta: quasi dixisset, nihil mali facio, sed — *ἱεροσυλῶ.* Alii Samum alii Syrum insulam, alii Miletum eum prodidisse narrant, quorum sententias schol. Aristophanis l. l. congessit Alexandrinorum doctrina usus. Cillicontem cognomen fuisse Cilicum improbitatem et perfidiam spectans recte suspicati sunt Alexandrini; sed miror verum, quod dicunt nomen proditoris *Ἀχαιόν* Apollonius *Λάκωνα* Ammonius, et ipsum nomen gentis esse. Hac originatione a Cilicibus ducta (Apoll. Amm. apud schol. Arist. l. l. Hes. s. *Κιλλικῶν* Suid. s *Κιλίκων*) refutatur nominis forma *Καλλικῶν*, quae est apud Suid. s. *πονηροῖς.* Duplici *λ* scribendum esse nomen demonstratur versibus Aristophanis et Callimachi apud schol. Arist. et Suid. s. *πον.*: *μὴ σύγε, Θειάγενες, κόψας χέρα Καλλικόωντος.* [De Schneideri huius versus restitutione:

μὴ σύγε, Θειογένης, κόφης χέρα Κιλλικόωντος.

cf. eius Callimachea II, 469 sq.] Theagenes quidam proditionem Cillicontis ulciscens, illi manum amputasse dicitur. Iste Cillico, cum Miletum prodidisset hostibus, quaerentibus ex eo quibusdam quidnam faceret respondisse traditur: *πάντα ἀγαθά* vel *ἀγαθὰ Κιλλικῶν.* cf. schol. Aristoph. l. l. Falso parœmiographi, quos Bauckium p. 50 secutum esse nollem, ad haec verba *ἀγαθὰ Κιλλικῶν* supplendum esse *ἔχει,* arbitrati sunt, ita ut *ἀγαθά* lucrum esse putarent, quod iste patriae fecisset proditione cf. Zen. CPG I, 2. I, 181. 349 rell. Suid. s. *Κιλίκων.* Sed recte idem s. *πονηροῖς· πάντα οὖν ἀγαθά, φησί, ποιῶ ὡς ἔλεγε Καλλικῶν.* cf. s. *Κιλλικῶν.* Suet. Miller 417. Eust. 864, 38.

Φρυνώνδας, Arist. Thesm. 861. Plato Prot. 327 D. Aeschin. 3, 137 et schol. Luc. Alex. 4 alii cf. Etym. M. s. *Φρυνῶνδαι* Hes. s. *Φρυνώνδας· πονηρούς.* Suid. s. v. Aristophanis versum ex Amphiarao affert *ὦ μιαρὲ καὶ Φρυνῶνδα καὶ πονηρέ συ.*

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ Ἀνδροκλέης πολεμαρχεῖ versus ignoti auctoris est. Sicut Cillicontem, Eurybatem, Simonem sim. Androclem quoque non certi cuiusdam hominis nomen esse, sed malignum hominis nequam cognomentum recte mihi videtur statuisse H. Müller-Strübing Annal. 1890, p. 530. 535 sq. CPG I, 75. Hes. s. *διονυσοκουροπυρωνην.*

Pausaniae, Cleombroti filii, omnibus v. d. e Thuc. I, 130 notissima rapacitas, num iusta causa in proverbii formam redacta sit *ἐπὶ τἀλλότρια Παυσανίας* CPG II, 166, deficientibus testibus diiudicare non iam possumus.

Aristodemus, homo nequam, proverbii loco adhibitus est Luc. Alex. 4.

Patacio a comicis, cf. Suid. s. v. ut fur et sycophanta exagitatus posterioribus, cf. Dio, Chrys. II, 270 R. nequitiae exemplum fuit cum Eurybate, cf. Aeschin. or. c. Ctes. 189 al. Forma proverbii *Παταικίωνος συκοφαντικώτερος* Apostolio deberi videtur CPG II, 607 cf. Hiller, Phil. 34, 231, nisi forte hic quoque latet versus comicus.

Κρωβύλου ζεῦγος dicebatur in eos, qui nequitia et improbitate commoti ineunt societatem. Narrationem a duabus Crobyli lenonis meretricibus sumptam Demonis esse non sine causa existimavit Crus. An. 142. Zen. Miller 361. CPG I, 103. Liban. ep. 89. Phot. s. v. Suid. s. *Κροβύζου ζεῦγος*. cf. Mein. CGF I, 475.

Mulieres veneficio herbarumque magicarum scientia imbutae nominibus significabantur Circae, cf. Suid. s. *Κίρκη*. Hom. *κ*, 230 sqq. Plaut. Epid. 604. Theocr. IX, 35, ubi exempla contulit Tribukait p. 42. Medeae et Perimedae cf. Tribukait p. 43.

Lysander infamis erat, quod periurium facere nihili aestimabat. Themistius or. 21 p. 258. *ῥᾷον ἐπιορκοίη Λυσάνδρου τοῦ Σπαρτιάτου* cf. Plut. Lys. 7. Apophth. Lys. 4. Cic. off. I, 30.

Chares, qui Atheniensium in pugna ad Chaeroneam commissa dux fuit, vaniloquus et parum fidus habebatur. In proverbium abierunt *αἱ Χάρητος ὑποσχέσεις* dictae pro vanis promissis Zen. Miller 369. CPG I, 34. Usurpat Liban. ep. 155 al. Diod. Sic. XV, 95.

Luxuriae et libidinum intemperantiae exempla sunt:

Sardanapallus Luc. Iupp. trag. 48 diall. mort. II, 20, 2. Plut. Alex. fort. II, 3 D al. Arist. Av. 1021 et schol.: *πάναβρος Σαρδανάπαλλος* Apost. CPG II, 600 *Σαρδαναπάλλου βίος*. CPG II, 637. Athen. VII, 294. *Σ. τρυφηλότερος* CPG I, 449 e Iuliani epistula 59, p. 170; *ὑπὲρ Σαρδανάπαλλον τρυφᾶν* Themistius or. II, 30. cf. Herod. II, 150. Ctes. frg. 20. *Σαρδαναπάλλου τράπεζα* Graux p. 221. Saepius coniungitur cum Cinyra velut Luc. rhet. 11.

Telephus helluo quidam Athen. V, 186 C. X, 421 D. *ἄφωνος Τήλεφος* de cupide edentibus dicitur.

In Herculis voracitate festive exornanda ante omnes comici ingenium exercuere. Unde proverbium natum: *Ἡρακλῆς ξενίζεται* CPG II, 448. cf. Arist. Lys. 928 schol. Pac. 741. Ran. 551. Av. 1637. Strattis Athen. XIV, 656 B. al. cf. Welcker, ad Arist. Ran. p. 143. Müller, Dor. I, 456. II, 356. Bauck p. 52. v. Wyss p. 13.

Σμινδυρίδου ἁπαλώτερος Graux p. 22. Sybarita Her. VI, 127. In proverbii consuetudine eum fuisse testes sunt Them. or. 26 p. 331. Const. Man. 7, 20.

Infames libidines a comicis notabantur nominibus Execesti, Theodori, Aristodemi, aliorum cf. Hes. s. v. Bergk, Comœdiarum Att. rell. 184. A comicis exagitati sunt etiam Clisthenes Arist. Nub. 354 schol. Suid. s. Κλεισθένους ἀκρατέστερος.

Cinesias poëta, Arist. Eccles. 353 schol. Av. 1385 alibi. Athen. XII, 551 D. CPG I, 454. II, 652 τὰ Κινησίου δρᾷ. Sed horum nomina num re vera proverbii locum obtinuerint valde dubitandum est.

Epeus, equi Troiani fabricator, a posteris ignavus putabatur, cf. Plato r. p. X, 620 C, Quint. Smyrn. XIV, 329 Suid. Ἐπειοῦ δειλότερος. Cratino comico, cuius ignaviam notare videtur Aristoph. Pac. 700, hoc cognomen inditum esse tradiderunt Hes. s. Ἐπειός. Suid. CPG I, 77.

Εἰκῇ τῷ Ἡρακλεῖ dictum Epicharmi (cf. Phil. Suppl. VI, 286) de homine violento et feroci et rapaci, in proverbio significabat eos, qui sine fuco et fallaciis ne vim quidem veriti propositum assequi conantur.

Ubi de summa crudelitate sermonem faciebant antiqui exemplis utebantur Echeti illius Homerici Od. XVIII, 85 schol. XXI, 308. Apollon. Rhod. IV, 1091. Suid. s. Ἔχετος cf. s. Φῆστος Luc. ver. hist. II, 23 et Phalaridis. Φαλάριδος ἀρχή CPG I, 318. II, 50. Saepius coniunguntur Phalaridis et Echeti dominatio velut Liban. or. IV, 370 R. Greg. Naz. or. 3, 91 A; alia Unger, Eclect. crit. 11 collegit. Apostolii II, 706 ineptiae iam a Bentleio opusc. phil. 160 castigantur. cf. Holm, Hist. Sicil. II, 149—152.

Acrisii, Danaae patris, nomen ut proverbiale adhibet Aelian. Nat. an. XII, 21: Ἀκρίσιος γίνεται εἰς τὴν παῖδα ἀσεβέστερος Ἱππομένους CPG I, 214. Hippomenis crudelissimum in filiam vitiatam supplicium, quam una cum equo fero in carcere conclusit, neutri alimentum subministrans, narraverunt Heraclides Ponticus polit. 4, 1 ed. Schneidewin. Phot. Suid. s. παρ' ἵππον e Nicolao Damasceno apud Const. Porphyr. in excerptis a Valesiis editis p. 446. CPG II, 606 Apostolii prov. πάθος κόρης Ἱππομένους lemma tantum videtur esse. Sensu proverbiali locutionem usurpat Liban. ep. 254.

De nimia severitate legum non tam Draconis, quod nobis usitatissimum est, quam Zaleuci, Locrorum Epizephyriorum legumlatoris, nomen Graecis sollemne erat CPG I, 87. Ζαλεύκου νόμος; apud rell. parœm. item. Tamen Draconis quoque leges, etsi in proverbio non fuerunt, antiquis maxime ob severitatem memorabiles erant (cf. Plut. Sol. 17. Gellius N. A. XI, 18) neque ullam aliam poenam nisi supplicium iis statui narrabant. Quae fabula inde orta esse videtur, quod quae Draco de caede expianda legibus iusserat, sola servata neque a Solone neque a posterioribus immutata sunt. cf. Dem. Lept. 158. Aristocr. 51.

Sed de aliorum quoque hominum antiquorum nominibus, quae apud nos in proverbii consuetudinem venerunt, parœmiographi nihil docent velut de Xanthippa, Socratis uxore. Quamquam iracundia eius saepius describitur (cf. Xen. Mem. II, 2. Symp. I, 10. Diog. Laert. II, 36. A. Gellius I, 17), tamen nomine Xanthippae nullo loco mulier iurgiosa notatur. Item Damoclis gladius veteribus non in proverbio est; auctor nobis est Cicero Tusc. V, 21, unde narrationem illam lepidam Romanis notissimam factam esse docent Hor. od. III, 1, 17:

destrictus ensis cui super inpia
cervice pendet, non Siculae dapes
dulcem elaborabunt saporem —

et qui Horatium imitatus est Persius III, 40, videas etiam Dion. Chrys. orat. VI, p. 97. Sidon. Apoll. II, 13. Ciceronis fontem fuisse scriptorem Graecum, Philistum vel Timaeum vel alium quendam, verisimile est. At quaerere quibus de causis et quo tempore factum sit, ut haec nomina apud posteriores proverbii vim obtinerent, non pertinet ad nostrum propositum. Optime autem non modo haec quaestio sed tota parœmiologia adiuvabitur, si omnes quicumque scriptorem antiquum edunt, proverbiorum originis et usus rationem habebunt. Praeterea hac communi opera ad corpus proverbiorum Graecorum quam plenissime componendum perveniemus, ad quod conficiendum et explicandum hanc quoque dissertationem nonnihil collaturam esse spero.

Index nominum in ipsis proverbiis exstantium.

Vita.

Natus sum Maximilianus Wiesenthal Sedini in capite Pomeraniae a. d. XI. Kal. Oct. a. h. s. LXVII patre Ottone matre Augusta de gente Renzmann, quos adhuc superstites esse ex animo gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus Coloniae Agrippinensium, quo a. h. s. LXXIV pater iussu regis domicilium transtulerat, gymnasium, quod adhuc auspiciis Osc. Jaegeri floret, adii vere a. h. s. LXXVII. Maturitatis testimonium vere a. h. s. LXXXVI adeptus Regimontium in almam litt. universitatem Albertinam me contuli, ubi per octies sex menses studiis philologicis et historicis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi Baumgart, Friedlaender, Hahn, G. Hirschfeld, Jeep, Jordan, Ludwich, Prutz, Ruehl, Schoene, Schubert, Thiele, Walter, Zachariae. Proseminarii per ter, seminarii philologici per quater sex menses, seminarii historici per annum fui sodalis. Exercitationibus quoque interfui Jeepii philologicis, Hirschfeldii archaeologicis, Ruehlii palaeographicis, Schuberti historicis, Thielii et Walterii philosophicis. Examen pro fac. doc. sustinui pridie Kal. Febr. a. XCI; Coloniam Agripp. reversus tirocinium paedagogi posui in seminario, quod moderatur Osc. Jaeger, proximo anno in gymnasio Barmensi cand. prob. fui. Inde a vere a. XCIII in eodem gymnasio munere fungor extraordinario. Examen, quod vocant rigorosum, factum est Nonis Dec. a. XCIV.